BREVIARIUM

ADVOCATORUM.

BREVIARIUM

ADVOCATORUM

SEU

ROTUNDIORES JURIS REGULÆ,

SECUNDUM

ORDINEM MATERIARUM ALPHABETICUM

DISPOSITÆ.

NAPOLI,
LIBRERIA E TIPOGRAFIA SIMONIANA
Strada Quercia n°. 17.
1839.

PRÉFACE.

Ce n'est point en vain que les lois romaines ont été appellées *la raison écrite;* elles traverseront les siècles, et, après avoir hâté, quoi qu'on ait pu dire, les progrès de la civilisation universelle, elles recueilleront dans tous les temps la reconnaissance et l'admiration de tous les peuples.

Renfermer dans un petit volume la substance du droit romain était donc une chose fort utile.

Deux sortes de règles dominent toute législation : règles de droit naturel ou d'équité, et règles de droit proprement dit. Celles-ci dérivent quelquefois directement des premières ; quelquefois aussi elles résument une matière spéciale, et, pour quiconque veut en faire une sage et énergique application, la connaissance de la matière est alors indispensable.

Elles sont, les unes et les autres, au barreau, d'un fréquent usage, *frequentioris usûs* : elles donnent à la discussion plus de clarté et de force, elles raniment l'attention fatiguée du juge, et entraînent sa conviction. Il serait vraiment honteux de les ignorer.

Le titre dix-septième et dernier du cinquantième et dernier livre du Digeste ne renfermait que deux cent onze règles de droit. Ce titre était donc évidemment incomplet ; mais, de plus, il n'avait aucun ordre.

Une foule d'auteurs remanièrent la compilation de Tribonien, et l'augmentèrent considérablement : quelques uns classèrent les règles par ordre alphabé-

tique, et d'autres les classèrent par ordre de matière. Inutile d'exhumer ici des noms obscurs qui ne rappelleraient pas des ouvrages depuis long-temps oubliés.

Mais il est impossible de taire les noms de Godefroy et de Pothier. Godefroy a laissé son *Florilegium* que l'on consultera avec fruit, et Pothier se fait remarquer, dans sa volumineuse compilation, par l'extrême simplicité de sa méthode.

Toutefois il manquait un auvrage où les règles se suivissent, rangées par ordre de matières, sous un grand nombre de titres rangés eux-mêmes par ordre alphabétique. Cet ouvrage, le voici : peu importe son origine. Ce n'est sans doute aussi qu'une compilation, trop semblable à beaucoup d'autres, et dont personne assurément ne briguera l'exclusif honneur. Il suffit que ce *Breviarium* facilite singulièrement les recherches, pour qu'il soit bientôt entre les mains de tous les avocats et de tous les jurisconsultes.

BREVIARIUM
ADVOCATORUM.

ABSENTIA.

1. Absentia longa et mors aequiparantur.

2. Absente patre, curator datur, ne bona pereant.

3. In omnibus partibus juris, is qui reversus non est ab hostibus, quasi tunc decessisse videtur, cum captus est.

4. Is qui reipublicae causâ abfuturus erat, si procuratorem reliquerit per quem defendi potuit, in integrum volens restitui, non auditur. PAULUS.

5. Divi Severi et Antonini magni rescriptum est, ne quis absens puniatur. Et hoc jure utimur, ne absentes damnentur; neque enim inauditâ causâ quemquam damnari aequitatis ratio patitur. MARCIANUS.

6. Absentia diuturna justa est causa dissolvendae societatis. GOTHOFREDUS.

ABSOLUTIO.

Levius est nocentem absolvere, quàm innocentem condemnare.

ABSUMPTUM.

Absumptum non videtur, quod in corpus patrimonii versum est.

ABUSUS.

Abusus non est usus, sed corruptela.

ACCESSIO.

1. Quidquid ex re nostrâ nascitur, nostrum est, imò antequàm nascatur, rei nostrae partem facere intelligitur.

2. Si equam meam equus tuus praegnantem fecerit, non esse tuum, sed meum, quod natum est. *L.* 5. § 2, *de rei vindicat.*

ACCUSATIO.

Is qui reus factus est, purgare se debet, nec antè potest accusare quàm fuerit excusatus.

Ulpianus.

ACQUIESCERE.

Si ex duobus petitoribus alter victus acquieverit, alterius petitioni non praejudicatur, idque ita rescriptum est. *L.* 63, *ff. de re judicatâ.*

ACQUISITIO.

1. Non omnis acquisitio communicatur inter virum et uxorem, solùm ea quae fit constante matrimonio, et quae non pendet à jure alterutri eorum ante matrimonium quaesito. MOLINÆUS.

2. Acquisita marito, constante matrimonio, statim communia fiunt utriusque conjugis, licet ipse solus inhaeredatus sit. STOCKMANNUS.

3. Ad solutionem dilationem petentem acquievisse sententiae manifestè probatur, sicut eum qui quolibet modo sententiae acquievit. *L. 5, cod. de re judicatâ.*

4. Postquàm res integra esse desiit, nulla causa est propter quam audiri debeat appellans ab eâ sententiâ cujus executioni consensit, tametsi certet de damno vitando, ne injuriâ afficiatur is qui rei judicatae auctoritatem secutus est. *Glossa in l. ad solutionem 5, cod. de re judicatâ.*

ACTIO.

1. Actionis verbo non continetur exceptio. PAULUS.

2. Quem de evictione tenet actio, eumdem agentem repellit exceptio.

3. Cùm actiones de re eâdem concurrunt, alia aliam non consumit.

4. Is qui actionem habet ad rem recuperandam, rem ipsam habere videtur. *L.* 15, *ff. de reg. jur.*

5. Juri convenit ut cui datur actio, ei multò magis detur exceptio. STYPMANNUS.

6. Actio ad mobile consequendum mobilis est; ad immobile, immobilis.

7. Qui non cogitur in aliquo loco judicium pati, si ipse ibi agat, cogitur excipere actiones et ad eumdem judicem mitti. PAULUS.

8. Ubi concurrunt plura delicta, ibi concurrunt plures actiones. BALDUS.

9. Constante matrimonio, neutri eorum conjugum, neque poenalis, neque famosa datur actio. Lex enim tàm atrocem actionem dare in personam ita conjunctam erubuit. *L.* 17, *cod. de furtis.*

ACTIO IN SOLIDUM.

Perceptio usurarum ab uno non perimit actionem adversùs alios competentem in solidum.

ACTOR.

1 Actor sequitur forum rei.

2. Actori incumbit onus probandi.

3. Reus potest exigere ab actore ut edat sibi instrumenta, si ea scilicet in suâ potestate habeat, quibus contendit se posse causam suam instruere, vel exceptionem probare.

Attamen nemo edere contra se tenetur.

ACTUS.

1. Forma substantialis actûs dat esse actui in tantùm quod, illâ deficiente, actus non dicitur, nec actûs nomen assumit.

2. Res inter alias acta vel judicata, alteri nec prodest nec nocet.

3. Id sequimur quod actum est.

4. Ubi actùs non est necessarius, nihil refert an benè, an malè sit factus.

ADMINISTRATIO.

Vox administrationis omnem excludit alienationem, nec cadit alienatio in causam administrationis. BALDUS.

ADMISSUM.

Non videtur admittendum quod non duraret admissum.

ADOPTIO.

Adoptio est legis actio, quâ qui mihi filius non est, ad vicem filii redigitur. JUSTINIANUS.

ADULTERIUM.

1. Difficillimum est justum dolorem temperare. *L.* 38 . § 8 , *ff. ad leg. jul. de adulterio.*

2. Qui tenet uxorem adulteram , stultus et impius est. *Prov. cap.* 18.

ADVOCATUS.

1. Diversitas negotiorum diversum exigit jusjurandum.

2. Oportet ut bonas causas et veraciter agant advocati.

3. Veritas ipsa , ut et innocentia , maxima eloquentia est , et de veritate magis quàm ne victoriâ solliciti esse debent causarum patroni.

4. Licet advocato vendere justum patrocinium, et jurisconsulto justum consilium, quamvis non liceat judici vendere justum judicium.
S. Aug.

5. Nullum cum litigatore contractum , quem in propriam receperit fidem , ineat advocatus, nullam conferat pactionem.

6. Advocati non debent exercere officium tabellionis. *Gloss. in legem* 15 , *cod. decur.*

7. In advocatorum tutelâ , non privatorum dumtaxat , sed et reipublicae salus continetur.

ÆDIFICIUM.

1. Superficies solo cedit.

2. Ea quae ex aedificio sunt detracta, ut reponantur aedificii sunt; secùs quae sunt parata ut imponantur.

3. Scienti alienum solum esse potest objici culpa, quòd aedificaverit temerè in eo solo, quod intelligeret alienum esse.

ÆQUIPOLLENTIA.

Non refert quid ex aequipollentibus fiat.

ÆQUALITAS.

1. Quoad jus naturale, omnes homines aequales sunt. *L.* 32, *ff. de reg. jus.*

2. Non debet uni licere quod alteri non permittitur.

3. Jungat aequalis gratia quos junxit aequalis natura. AMBROSIUS.

ÆQUITAS.

1. In omnibus quidem, maximè tamen in jure, aequitas spectanda est.

2. Quoties aequitatem desiderii naturalis ratio aut dubitatio juris moratur, justis decretis res est temperanda. *L.* 85, *§ ult. ff. de reg. jur.*

3. Naturalis ratio optimus est legis clypeus, judexque non minùs moveri debet naturali dicto, seu dictamine rationis, quàm lege scriptà, quia quaerere legem ubi habemus rationem naturalem est infirmitas intellectûs.

BALDUS.

4. Cùm prohibetur aliquid, prohibentur etiam media ad aliud tendentia.

5. Æquitas juris scrupulositati praeponderare debet.

ÆS.

Etiam nummos aureos aes dicimus.

ULPIANUS.

ÆS ALIENUM.

Omne aes alienum quod manente societate tractum est, de communi solvendum est.

PAULUS.

ÆSTIMATIO.

1. Alia est aestimatio possessionis, alia fundi, seu proprietatis. BARTHOLUS.

2. Pretia rerum non metimur à singulari affectione, sed aestimatione communi.

BALDUS.

ÆTAS.

1. In criminibus, aetatis suffragio minores non juvantur. Etenim malorum mores animi infirmitas non excusat. *L. 1, ff. si adv. et L. impuberem 23, ff. de furtis.*

2. Ferè in omnibus poenalibus judiciis, et aetati et imprudentiae succurritur. PAULUS.

3. Observandum est quòd ille qui asserit actum aliquem confectum fuisse ab insano et furioso, debet probare praecisè quòd eo tempore confecti actus, is laboraret eo morbo. MASCARDUS.

AFFECTUS.

Nullus affectus qui vincat maternum.

AFFLICTIO.

Non est addenda afflictio afflicto.

AGERE.

1. Per alium qui facit, ipse facere videtur.
2. Nemo contra se sponte agere censetur.
3. Intelligitur dominus, cùm patitur colonum in fundo esse, ex integro locare, et hujusmodi contractùs neque verba, neque scripturam desiderant. *L.* 13, *ff. locat.*

ALIENATIO.

1. Qui praescribi patitur, alienare videtur. ARGENTRÆUS.
2. Quoties in fraudem legis fit alienatio, non valet quod actum est.

3. Qui non potest alienare, nec juramentum deferre potest. ALEXANDER.

4. In dubio non praesumitur quis alienasse ea quae repertus est possidere. BARTHOLUS.

5. Prohibitio alienationis ad alienationem necessariam se non extendit, sed ad voluntatem tantùm. PAULUS.

6. Vox administrationis omnem excludit alienationem, nec cadit alienatio in causam administrationis. BALDUS.

ALIMENTA.

1. Necare videtur qui alimonia denegat. *L.* 4, *ff. de agnosc. lib.*

2. Mulier de bonis viri est alenda. ARGENTRÆUS.

3. Ab eo alimenta peti non possunt, qui aliundè habet undè alatur. *Idem.*

4. Competens judex à filio te ali jubebit, si in eâ facultate est ut tibi alimenta praestare possit. *L.* 2, *cod. de alend. lib. ac puer.*

5. Legatis alimentis, cibaria et vestitus e habitatio debentur, quia sine his ali corpus non potest. *L.* 6, *de alim.*

6. Vir et uxor inopes superstites alendi sunt ab haeredibus defuncti. SURDUS.

ALTARE.

Qui altari servit, de altare debet vivere.

AMOVERE.

Amovere non videtur qui non callido animo nec maligno rem reposuit. *L. 71, ff. de acq. vel amitt. haereditate.*

ANTICHRESIS.

Contrahitur antichresis, cùm debitor, acceptâ sub usuris pecuniâ, fundum creditori fruendum dat pro interusurio pecuniae.... Non debet creditor ampliores fructus percipere, quàm quanti conveniat cum legitimis pecuniae usuris, alioquin usurae vitium contractum corrumperet.

ARGENTRÆUS.

APPELLATIO.

1. Non solent audiri appellantes, nisi hi quorum interest.

2. Appellanti nihil obesse, quod in libellis à quâ parte sententiae appellaret non significavit. ULPIANUS.

3. Non solere improbari appellationem eorum qui vel unam causam appellandi probabilem habuerunt. *Idem.*

4. Ubi duplex fertur sententia, ibi duplex appellatio est necessaria. BARTHOLUS.

5. In appellatione non receptâ nihil debet innovari. MACER.

6. Postquàm res integra esse desit, nulla causa est propter quam audiri debeat appellans ab eâ sententiâ cujus executioni consensit, tametsi certet de damno vitando, ne injuria afficiatur is qui rei judicatae auctoritatem secutus est. *Glossa in l. ad solutionem, de re judicatâ.*

APPROBATIO.

Quod omnes tangit debet ab omnibus approbari.

ARBITER. ARBITRIUM.

1. Arbiter detrahere potest et adjicere in suam sententiam, non prout lex et justitia (dic potiùs jus scriptum) suadet, sed prout humanitas et misericordia impellit. SENECA.

(Haec sententia quandòque fallit in applicatione.)

2. Si plures sunt qui arbitrium receperunt, nemo unus cogendus erit sententiam dicere, sed aut omnes aut nullus. *L.* 17, §. 2, *ff. de recept.*

3. Arbitrium patris summum judicium esto.

4. Ab initio nemo cogitur arbitrium suscipere; sed post susceptum cogitur explicare. BARTHOLUS.

5. Arbiter est qui inter partes judicis assumit officium, non qui amicabiliter componit. *id.*

6. Sententia arbitri incerta nulla est. *id.*

7. Arbiter poenam infligere non potest. *id.*
8. Minor non potest esse arbiter. *id.*
9. Protestatio cui adversarius consensit liberat protestantem. *id.*
(Haec est exceptio sententiae : Qui protestatur nil agit.)
10. Bona fides exigit ut arbitrium tale praestetur quale viro bono convenerit. *L.* 24, *ff. locati.*

ARBOR.

1. Fuit et arborum cura legibus priscis. PLINIUS.

2. Ubi majus periculum, ibi magis necessarium fuit auxilium.

AUCTOR.

1. Non debeo melioris conditionis esse quàm auctor meus, à quo jus in me transit. Nemo plus commodi haeredi suo relinquit quam ipse habuit.
2. Tempus negligentiae auctoris conjungitur cum negligentiâ successoris. BARTHOLUS.

AUCTORITAS.

1. Auctoritas quae debet interponi à marito, debet formaliter inscribi in contractu per verbum *auctoriso*.

2. Auctoritas adhibita post actum censetur in ipso actu adhibita. TIRAQUELLUS.

3. Prior auctoritas imperantis quàm utilitas servientis.

AUXILIUM.

1. Quae emergunt de novo, novo indigent auxilio.

2. Ubi majus periculum, ibi magis necessarium fuit auxilium.

BENEFICIUM.

1. Beneficium legis non debet esse captiosum.

2. Beneficium restitutionis transit ad haeredes. BARTHOLUS.

3. Invito beneficium non datur. PAULUS.

4. Ita naturâ comparatum est, ut antiquiora beneficia subvertantur, nisi illa posterioribus cumules; nam si quid neges, id solum meminerint quod negatum est. PLINIUS JUN.

5. Beneficium imperatoris, quod à divina scilicet indulgentiâ proficiscitur, quàm plenissimè interpretari debemus. *L.* 3, *ff. de constit. principum.*

6. Quod ab initio beneficium fuit, usu et aetate fit debitum. SYMMACHUS.

7. Ut beneficium insequenti injuria rescinditur, ita injuria insequenti reconciliatione extinguitur. SENECA.

8. Beneficium principis nemini debet esse damnosum. MOLINÆUS.

BENIGNITAS. CLEMENTIA.

1. (Audi legem humanissimam:) Perspiciendum est judicanti ne quid aut durius, aut remissius constituatur quàm causa deposcit. Nec enim aut severitatis, aut clementiae gloria est affectanda; sed perpenso judicio, prout quaeque res expostulat, statuendum est. Planè in levioribus causis proniores ad lenitatem judices esse debent; in gravioribus poenis, severitatem legum cum aliquo temperamento benignitatis subsequi. MARCIANUS.

2. Rapienda est occasio quae praebet benignius responsum. PAULUS.

3. Benigniùs leges interpretandae sunt, quò voluntas earum servetur.

4. Nulla juris ratio aut aequitatis benignitas patitur, ut quae salubriter pro utilitate hominum introducta sunt, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad severitatem.

5. Nulla tempora domicilium constituunt aliud cogitanti. ARGENTRÆUS.

BONA.

1. Bona non censentur nisi deducto aere alieno.

2. Propriè bona dici non possunt, quae plus incommodi quàm commodi habent. JAVOLENUS.

3. Ex eo bona dicuntur, quod beant: beare, est prodesse.

4. Bona pupillaria non licet tutoribus in proprios usus convertere.

5. Antè detrahendum quod extra bonorum quantitatem est. *L.* 73, *ff. ad legem falcidiam.*

6. Bona quidem inchoare necesse non est, sed vetera explicare.

7. Qui cadit à syllabâ, cadit à toto—Bonum ex integrâ causâ, malum ex minimo defectu.

8. Ea quae communiter omnibus prosunt, iis quae specialiter quibusdam utilia sunt, praeponimus. *Auct. quae res in fine.*

CADERE.

Faciliùs cadimus quàm resurgimus.

CAECUS.

Caecus si caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt. *Mat.* 15, 14.

CALLIDITAS.

Infirmitati, non calliditati consultum est. *L. si sine C. ad Penat. Velleian.*

CALUMNIATOR.

Inspectâ calumniatoris qualitate, injuriarum

gravitate, pondere et atrocitate, aliisque circumstantiis, poena est infligenda.

CAPACITAS.

Quotiescumque de capacitate aut habilitate personarum quaeritur, domicilii leges et statuta spectantur. BARTHOLUS.

CAPTURA.

1. Propter necessitatem et morae periculum licitum est privato capere debitorem fugientem, vel fugam adornantem etiam die feriato; et valet captura à quocumque facta, et sufficit eam ex probationibus posteà factis justificare.

MOLINÆUS.

2. Ea quae ex hostibus capimus, jure gentium statim nostra sunt. *Instit.* § *de rerum divis.*

CARCER.

Carcer est quoddam genus servitutis, nec minùs injuriam aufert qui alterum in carcerem tradit quàm qui interimit. TIRAQUELLUS.

CASTIGATIO.

1. Vivos castigare decet, non mortuos.
2. Malum est viris defunctis conviciari.
3. Temerarium est umbram hominis mortui affligere.

CASUS.

1. Distingue casus, et conciliabis jura.

2. Ex his quae fortè uno aliquo casu accidere possunt, jura non constituuntur.

Celsus.

CASUS FORTUITUS.

1. Casus fortuiti à nemine praestantur.

2. Per pactum potest quis se adstringere ad casum fortuitum? Bartholus.

3. Quae fortuitis casibus accidunt, cùm provideri non potuerunt, in quibus etiam aggressio latronum ex nullo bonae fidei judicio praestantur. *L.* 4, *cod. de pignerat. act.*

4. Ea quae improviso casu potiùs quàm fraude accidunt, facto non noxae imputantur. *L.* 1, *cod. ad legem Corn.*

5. Nemini potest imputari quod humanâ providentiâ regi non potest.

6. Pecuniam à te datam, si haec causa pro quâ data est non culpâ accipientis, sed fortuito casu est secuta, minimè repeti posse certum est. *L.* 10, *cod. de condit. ob caus. dat.*

CAUSA. EFFECTUS.

1. Cessante causâ, cessat effectus; cessante causâ privilegii, cessare debet privilegium.

2. Duae causae lucrativae non possunt concurrere in eamdem personam circa eamdem rem.

3. Limitata causa limitatum habet effectum.

4. Major quaestio minorem causam ad se trahit. PAULUS.

5. Cùm nulla causa subest propter conventionem, hîc constat non posse constitui obligationem.

6. Nihil prohibet ex pluribus causis eamdem obligationem coalescere, quarum unâ deficiente altera salva maneat. Quamdiù autem aliqua vel minima causa subest, tamdiù sustinetur obligatio; semper enim interpretatio fieri debet potiùs ut valeat quàm ut intercidat.

CAUTIO.

1. Plus cautionis est in re quàm in personâ.

2. Si debitori meo reddiderim cautionem, videtur inter nos convenisse ne peterem; profuturamque et conventionis exceptionem placuit. *L. labeo*; *ff. de pact.*

CEDERE.

Aut cedat, aut solvat. (Regula in hypothecis servata.)

CENSURA.

Ex veteribus hoc praeceptum rectè elicui-

mus, non esse permissam judicantibus de conditis legibus censuram. ARGENTRÆUS.

CERTAMEN.

Ubi pro virtute certamen non fit, sponsionem facere non licet. ALBERTUS.

CESSIO JURIS.

Si solutio simpliciter facta sit, cessio juris debet fieri incontinenti. (Haec sententia intelligitur de subrogationibus.)

CITATIO.

1. Quamvis citatio die feriato fieri non debeat, haec regula fallit quoties res urget, aut actionis dies exiturus, ideò ut res esset peritura, quandò dilatatio periculosa est.

2. Libellum emendare licet usque ad sententiam.

3. Citatio facta ad locum inhonestum non arctat citatum. BARTHOLUS.

4. Magnâ omninò ratione repertum est, quocum rem habeas ad dicendam causam, in jus evocari, nec antè respondere cogi quàm admonitus sit qui convenitur, et tempore ad comparandas defensiones dato. Alioqui futurum est, ut rei immeditati repentinò agentium incursu opprimantur. ARGENTRÆUS.

5. Procuratore semel in judicio comparente, in reliquum citari ipse potest, cùm litem susceperit, et ut loquuntur, dominus litis factus sit. *Idem.*

CIVES. CIVITAS.

1. Cives origo, incolas domicilium facit.

2. Nemo duarum civitatum civis esse potest. RACQUET.

3. Jus mutandae civitatis ex voluntate pendet. *Idem.*

4. Urbes ex conjunctis domiciliis constant; civitates ex conventiculis hominum. CICERO.

5. Quemadmodùm libertas et civitas non datur ad tempus, ita non adimitur. CUJACIUS.

COACTIO.

Nemo potest praecisè cogi ad factum.

COGITATIO.

1. Cogitationis poenam nemo patitur. *L.* 18, *ff. de poenis.*

2. Non arbitror quemquam dicere quod non sentit; nemo existimandus est dixisse quod in mente non agitavit. CELSUS.

3. Scriptura, in quâ nulla subscriptio, nullam facit fidem, nec majoris est momenti quàm mera cogitatio quae nullam poenam meretur apud homines. JO. CALDRENUS.

4. Ad quorum contrariorum solutionem sic distingue: aut quis cogitavit tantùm delinquere et ad actum non processit, et tunc aut perduxit ad effectum, et indubitanter punitur, sive utatur, sive non; aut non perduxit, et tunc aut quia noluit, et hoc casu ei parcitur, aut quia non potuit, et tunc aut erant atrociora, et hoc casu ei punitur, pariter ac si effectum perduxisset; aut non erant atrociora, et hoc casu non punitur.

Accurtius.

COLONUS.

1. Inscio domino, per colonum praejudicium possessioni imponi non potest.

2. Intelligitur dominus, cùm patitur colonum in fundo esse, ex integro locare, et hujusmodi contractus neque verba, neque scripturam desiderant. *Dig. L.* 13, § 2, *ff. locat.*

3. Colonus dominum nominando ab instantiâ et lite absolutus est; colonus enim non sibi sed domino possidet. Robertus.

4. Colonus partiarius is est qui agrum eâ lege suscipit, ut pro culturâ fructuum dimidia pars vel alia ei cedatur.

COMMODATUM.

1. Re commodatâ uti non possumus.

2. Nemo commodando rem facit ejus qui commodat. Ulpianus.

COMMODUM.

1. Propter privatorum commodum non debet communi utilitati praejudicari. PAULUS.

2. Quem sequuntur commoda, sequi debent et incommoda.

Secundùm commoda quae quisque sentit, ita onus subîre tenetur.

3. Propriè bona dici non possunt quae plus incommodi quàm commodi habent.

JAVOLENUS.

4. Par debet esse ratio commodi et incommodi.

COMMUNICATIO.

Reus potest exigere ab actore ut edat sibi instrumenta, si ea scilicet in suâ potestate habeat, quibus contendit se posse causam suam instruere, vel exceptionem probare.

Attamen nemo contra se edere tenetur.

COMMUNE. COMMUNIO.

1. Spoliatus ante omnia restituendus.

2. In communione rerum est quasi contractus continuus, et singulis quodam modo momentis actio nasci videtur.

3. In communione vel societate nemo compellitur invitus detineri. *L.* 5. *cod. de comm. divid.*

4. In his quae sunt communia, quod fit à majori parte, aliis praejudiciat favore liberationis. BARTHOLUS.

5. Cùm pubblicum (aut commune) solum dicitur, non est ferendum claudere. ARGENTRÆUS.

6. Acquisita, constante matrimonio statim communia fiunt utriusque conjugis, licet ipse solus inhaeredatus sit. STOCKMANNUS.

COMPENSATIO.

1. Paria delicta mutuâ compensatione tolluntur.

2. Ex aequitate extendi potest compensatio ad ea quae facilè et intra breve tempus possunt liquidari, si nulla ratio contrarium suadeat.

3. In causâ depositi compensationi locus non est. PAULUS.

4. Compensatio debiti ex pari specie, licet ex causâ dispari, admittitur. *Idem.*

5. Quod in diem debetur, non compensabitur, antequàm dies venerit, quamquàm dari oporteat. (*V. 7, ff. de comp.*) (Non debet hìc et nunc, qui debet in diem.)

6. Quaecumque per exceptionem perimi possunt, in compensationem non veniunt.

7. Negligentiae ad negligentiam admittitur compensatio. ACCURSUS.

8. Debitum ex causâ victuali non compensatur. *Idem.*

9. Placuit inter omnes, id quod debetur, ipso jure compensari. *L.* 31, *ff. de compens.*

10. Ut compensationi locus sit, requiritur ut ex utrâque parte omnia paria sint non quantitate, sed qualitate, et ut omnia aequaliter certa et liquida.

COMPROMISSIO.

1. Si haeredis mentio facta non fuerit, morte solvitur compromissio. *L.* 27, *de rec. arb.*

2. Cùm eas ad causas recurritur, quae vulgò adferuntur, cur compromitti in ordinarium judicem nequeat, eas apparet tùm inanes esse ut nil officiant. Argentræus.

CONDEMNATIO.

1. Si diversis summis condemnent judices, minimam spectandam esse Julianus scribit.

2. Divi Severi et Antonini magni rescriptum est, ne quis absens puniatur. Et hoc jure utimur, ne absentes damnentur; neque enim inauditâ causâ quemquam damnari aequitatis ratio patitur. Marcianus.

3. Sciant victum in causâ expensarum victori esse condemnandum. *L. properandum*, §. *sive autem*, c. *de judiciis.*

4. Incompetens condemnatio pro non existente habetur. GOTHOFREDUS.

CONDICTIO INDEBITI.

Datum ex injustâ causâ repetitur. ALEXANDER.

CONDITIO.

1. In jure civili receptum est, quoties per eum cujus interest conditionem non impleri, fiat quominùs impleatur, perindè haberi ac si conditio impleta fuisset.

2. Non debet alterius collusione, aut inertiâ, alterius jus corrumpi. Alteri per alterum non debet iniqua conditio inferri.

3. Non debeo melioris esse conditionis quàm auctor meus, à quo jus in me transit. Nemo plus commodi haeredi suo relinquit quàm ipse habuit.

4. Frustrà expectatur conditio, cujus eventus nihil operatur. ACCURSUS.

5. Conditio de nubendo alterius arbitrio rejicitur, ideòque non nocet, si ille qui debet arbitrari, antè moriatur. BARTHOLINUS.

6. In conventionibus conditio impleta retroagit; ac perindè habetur, ratione quidem translationis dominii, ac si conditio nunquàm fuisset apposita. ARGENTRÆUS.

7. Defectus conditionis per factum implere

debentis, cum impedit ne legatum consequatur. *L.* 3, *cod de condit. insert.*

8. In conditionibus primum locum voluntas defuncti obtinet, eaque regit conditiones. *L.* 19, *de condit. et demontr.*

9. Conditiones quae contra bonos mores vel derisoriae sunt, pro non scriptis habentur; et perindè ac si conditio haereditati sive legato adjecta non esset, capitur haereditas legatumve.

10. Cùm non stat per eum ad quem pertinet, quominùs conditio impleatur, haberi debet perindè ac si impleta fuisset. *cap.* 66, *de reg. jur.*

11. Oratio conditionalis habet à contrario sensu implicitam negativam. Gothofredus.

CONFESSIO.

1. Confessus pro judicato habetur.

2. Confessionem suam potest qui revocare et causâ justi erroris.

3. In realibus confessiones non disponunt.

4. Confessionibus standum est, quibus jus vel natura non repugnat. Bartholus.

5. Confessio dividi non debet.

6. Cùm dicimus confessionem aut recognitionem pro veritate haberi, id intelligendum inter eas partes quae actui interveniunt, nam tertio praejudicium per eas non fit.

Argentræus.

7. Grande praejudicium adfert pro filio confessio patris.

8. Confessio facta in favorem incapacis praesumitur fraudulenta.

9. Confessio facta inter personas, inter quas prohibita est donatio, ut titulus lucrativus, praesumitur facta in fraudem legis, et sic animo donandi. PAULUS DE CASTRO.

CONFISCATIO.

Poena caput sequitur, non rem. (Haec regula valet contra confiscationem.)

CONFUSIO.

1. Si solitus rerum ordo deseritur, confusio culparum amica generatur, et omnia confundi desiderant qui tentant legibus inimica.
CASSIODORUS.

2. Cùm quis debitori suo haeres exstiterit, confusione creditor esse desinit; sed si vendiderit haereditatem, emptor haereditatis vicem haeredis obtinet. *L.* 2. *§. ult. de haered. vel. act. vend.*

CONJECTURA.

1. In certis non est conjecturae locus.

2. Repentini casûs iniquitas per conjecturam paternae pietatis emendanda est.

CONNEXA.

De connexis idem est judicium, et quod in uno disponitur, et in alio. Bartholus.

CONSANGUINITAS.

Non epistolis, non nudis asseverationibus, nec ementitâ professione, sed natalibus necessitudo consanguinitatis conjungitur. *L.* 13, 14, *cod. de probat.*

CONSENSUS.

1. Si tacuit, palàm est eum voluisse: patientiae consensus inest; qui tacet videtur consentire.

2. Patientia patientiam inducit; patientia tacitum consensum inducit. Argentræus.

3. Nemo videtur fraudare eos qui sciunt et consentiunt. *L.* 145, *ff. de reg. jur.*

4. Aliud est officiosè consentire, aliud juri suo renuntiare. Molinæus.

5. Quod semel placuit, ampliùs displicere non debet.

6. Nihil consensui tàm contrarium quàm vis ac metus. *L.* 116, *de reg. jur.*

7. Consensu fiunt obligationes in emptionibus, venditionibus, locationibus, societatibus, mandatis. *L.* 2, *ff. de oblig. et act.*

8. Praesentia pro consensu habetur. (Non semper.)

9. Privatorum consensus judicem non facit.

CONSEQUENTIA.

1. Quod contra rationem juris receptum est, non est producendum ad consequentias.
PAULUS.

2. Cui committuntur sequentia, videntur committi antecedentia. BARTHOLUS.

CONSILIUM.

1. Nemo potest mutare consilium suum in alterius injuriam.

2. Nemo ex consilio (adde non fraudulento) obligatur, etiamsi non expediat cui datum est. GAÏUS.

3. Consilium dare videtur qui persuadet et impellit, quive instruit consilium ad furtum faciendum. *L.* 50, *ff. de furtis.*

CONSUETUDO.

1. Consuetudo ultra territorium non disponit.

2. Malè adinventa, malaeque consuetudines, neque ex longo usu, neque ex longâ consuetudine confirmantur.

3. Defectu legis aut pacti conventi, recurrendum est ad usum loci in quo res peragitur.

4. Inveterata consuetudo pro lege non immeritò custoditur; et hoc est jus quod dicitur moribus constitutum. *L.* 32 et 33, *ff. de leg.*

5. Optima legum interpres consuetudo.

6. In contractibus ea tacitè veniunt, quae sunt moris et consuetudinis.

7. Valet consuetudo cui lex non adversatur.
ACCURSUS.

8. Quod non ratione introductum, sed errore primùm, deindè consuetudine obtentum est, in aliis similibus non obtinet. *L.* 33 et seq. *ff. de leg.*

Haec est exceptio regulae 10, *littera* J, *caput* 5.

9. Ea quae sunt moris pro expressis habenda sunt.

10. Facilè mutari non debet quod per longa saecula custoditur. ATHALARIC.

11. Consuetudo, usus, patientia, justissimi tituli sunt et praesidium ad honores, jurisque constituti loco habenda sunt, proque omni ratione sufficit sic esse consuetum fieri.
GOTHOFREDUS.

12. In juribus praediorum, illa quae in consuetudine esse solent, etiamsi nihil sit nominatum et comprehensum, debent subintelligi. *L. si priùs*, § 1, *ff. de aquâ pluv.*

CONTRACTUS.

1. Qui cum alio contrahit, non debet esse ignarus conditionis ejus cum quo contrahit.

2. Quae inter contrahentes fiunt, naturas contractuum mutare solent.

3. Verba contractûs referuntur ad tempus contractûs.

4. Omne verbum (in legibus ut et in contractibus) sic accipi debet, ut stet cum aliquo effectu operativo secundùm materiam subjectam. MOLINÆUS.

5. Forma substantialis actûs dat esse actuî in tantùm quòd, illâ deficiente, actus non dicitur, nec actûs nomen assumit.

6. Nihil interest an voluntatem suam verbis aliquis declaret, an rebus ipsis et factis.

7. Iisdem modis à contractu disceditur quibus contractum est.

8. In stipulationibus, quidquid palàm verbis non exprimitur, illud pro omisso habendum est. *L.* 991, *ff. de verb. obl.*

9. Ea quae sunt styli non operantur (in contractibus).

10. Ab emptione, venditione, caeterisque obligationibus, integris omnibus, consensu eorum qui obligati sunt, recedi posse dubium non est. *L.* 58, *cod. de pactis.*

11. Quae dubitationis tollendae causâ con-

tractibus inseruntur, jus commune non laedunt. *L.* 81, *ff. de reg. jur.*

12. Iniquum est in plures adversarios distringi, qui cum uno contraxerit.

13. Certissimum est ex alterius contractu neminem obligari. *L.* 3, *inf cod. ne ux. pro mar.*

14. Ex causâ potest una pars contractûs tolli, aliâ remanente. BARTHOLUS.

15. Resolutâ unâ parte contractûs, totus contractus solvitur. *Idem.*

16. Si verba contractûs conveniunt homini sanae mentis, praesumitur (contractus) fuisse sanae mentis. Talis enim praesumitur contractus qualem verborum proprietas demonstrat. BOERIUS.

17. Introductâ contrahendi facultate, consequens est ex eâ dari actionem activè et passivè quod ex eâ causâ contractum esset. ARGENTRÆUS.

18. Duae traduntur regulae: una, qui suo nomine contrahere aut in judicio consistere nequeat, nec per alium posse; altera, qui per se possit, per alium posse. *Idem.*

19. Contractus eorum qui alieni juris sunt, aut alienae potestati subjiciuntur, nulli sunt. *Idem.*

20. Uxorum contractus sibi utiles non irritantur. *Idem.*

21. Qui non visis tabulis contrahit, potiùs decipi quàm contrahere videtur.

22. Nihil magis bonae fidei congruit quàm id praestari quod inter contrahentes actum est. *L.* 11, § 1, *ff. de act. empt. et vend.*

23. A parte praeponderante natura contractûs judicatur. ARGENTRÆUS.

24. Non tantùm propter nos, sed propter nostros contrahimus.

25. Quae eodem aut postero die fiunt, propè modum ipsi contractui inesse videntur.
Idem.

26. Locus regit contractum.

27. Uniuscujusque contractûs initium spectandum est et causa. *L.* 6, *ff. de mandatis.*

CONTRADICTIO.

Propter justitiam patimur nobis contradici.
THEODORICUS REX.

CONTRIBUTIO.

Omnes quorum interest, navem salvam esse contribuere debent.

CONVENTIO.

1. Conventiones spectant tantùm id quod in ipsis continetur.

2. In stipulationibus, quidquid palàm verbis non exprimitur, illud pro omisso habendum est, *L.* 99, *ff. de verb. obl.*

3. Ab emptione, venditione, caeterisque obligationibus, integris omnibus, consensu eorum qui obligati sunt, recedi posse dubium non est. *L.* 58, *cod. de pactis.*

4. Verba conventionum secundùm jus commune intelligi debent. MANTICA.

5. Cùm nulla subest causa propter conventionem, hîc constat non posse constitui obligationem. *L.* 7, *ff. de part.*

6. Nihil prohibet priorem scripturam posteriore corrigere, commutare, rescindere.

7. Conventio ne quis teneatur de dolo, non valet. ACCURSUS.

8. Ubi non invenitur conventio, lex quaerenda est. ARGENTRÆUS.

COR.

Duro corde praeditus in miserias tandem incidet.

CORPUS.

Cùm in corpore dissentiatur, apparet nullam esse emptionem. — Nihil autem facit error nominis cùm de corpore constat.

ULPIANUS.

CORREI CREDENDI.

Creditores ejusdem rei non sunt correi credendi, nisi illud specialiter et nominatim actum fuerit.

CORREI DEBENDI.

Inter correos debendi factum unius nocet alteri, et interpellatio unius est interpellatio omnium. *L.* 57, *de duob. reis.*

CORRELATIVI.

1. Correlativorum par est ratio.
2. Limitata causa limitatum habet effectum.

CORRUPTA ALIMENTA.

Non licet corrupta vendere. *L.* 1, *cod. de canfrum.*

CREDITOR, CREDITUM.

1. Creditum et debitum non possunt concurrere in eâdem personâ.
2. Pauperis creditoris cui debetur, consideratio est potior, qui suum petit.

ARGENTRÆUS.

3. Ex omnibus causis itur in creditum. *L. singularia*, *ff. de reb. cred.*

CRIMEN.

. . . . *Tantò conspectius in se*
Crimen habet, quantò major, qui peccat, habetur. JUVENALIS.

CULPA.

1. Damnum quod quis suâ culpâ sentit, sibi debet, non aliis imputare.

2. Lata culpa dolo aequiparatur.

3. Imperitia dolus est et culpae adnumeratur.

4. Culpâ caret qui scit, sed prohibere non potest.

5. Culpa est immiscere se rei ad se non pertinenti. *L.* 36, *ff. de reg. jur.*

6. Non est in culpâ, si quis utatur re ad eum usum ad quem est destinata.

BARTHOLUS.

7. Ille qui non praevidet praevidere debuit in culpâ est. BALDUS.

8. Magna negligentia culpa est, magna culpa, dolus. PAULUS.

9. Qui culpâ caruit, dolo caruisse multò magis intelligendum est. ARGENTRÆUS.

10. Culpa abest, si omnia facta sunt quae diligentissimus quisque observaturus fuisset. *L.* 7, 8, 35, *ff. de locat. cond.*

11. Culpa sine voluntate delinquendi committitur.

CURIA.

Quod major pars curiae effecit, pro eo habetur ac si omnes egerint. SCÆVOLA.

DAMNUM.

1. Damnum quod quis suâ culpâ sentit, sibi debet, non aliis imputare.

2. Nemo debet suscipere id quod novit suam imperitiam vel imprudentiam alteri damnosam fore. *L.* 32, *ff. de reg. jur.*

3. Hoc naturâ aequum est neminem, cum alterius detrimento, fieri locupletiorem. — Addendum erat *quàm ante damnum illatum*, et ultrà, *dummodò detrimentum alter passus sit, non suâ culpâ.*

4. Damnum vocant, quod de suo cuiquam abest. ARGENTRÆUS.

5. Injuriam hîc damnum accipiemus culpâ datam ab eo etiam qui nocere noluit. *L.* 5, *ff. ad leg. aquil.*

6. Damnum quod per aggressuram latronum in possessionibus *locatis* rei tuae illatum esse proponis, à domino earumdem possessionum resarciri nullâ ratione desideras. *L. damnum, cod. de locato.*

DEBITOR, DEBITUM.

1. Grave visum est et aequitati repugnans alienorum debitorum causâ alium molestari, idque modis omnibus effugiendum jura omnia clamant. ZENO.

2. Debitor non liberatur, nisi debitum tuto in loco deposuerit.

3. Debitor is est à quo invito exigi pecunia potest. *L. debitor. ff. de verb. sign.*

4. Nemo adnotatione propriâ sibi facit debitorem. — Nemo sibi titulum adscribit.

5. Delegatione liberatur debitor quamvis cesset creditor à delegato exigere.

6. Si pecunia non est numerata debitori, debet et creditor instrumentum reddere.

7. Creditum et debitum non possunt concurrere in eâdem personâ.

8. Debita dicuntur de quibus potest esse actio. ARGENTRÆUS.

9. Propter moram debitoris, quanti plurimi res valuit condemnatur. *L. 2, ff. si cart pet.*

DECEPTIO.

1. Jura subveniunt mulieribus deceptis, non decipientibus.

2. Praetextu publicae auctoritatis nemo decipi debet. MOLINÆUS.

3. Singuli decipere et decipi possunt: nemo omnes, neminem omnes fefellerunt.

PLINIUS.

DEFECTUS.

Qui cadit à syllabâ, cadit à toto. — Bonum ex integrâ causâ, malum ex minimo defectu.

DEFENSIO, DEFENSUS.

Generaliter quotiescumque non fit nomine pupilli id quod quivis pater-familias idoneus facit, non videtur defendendi. ULPIANUS.

DEFINITIO.

Omnis definitio in jure civili periculosa est; parùm est enim ut non subverti possit.
JAVOLENUS.

DELEGATIO.

Delegatione liberatur debitor, quamvis cesset creditor à delegato exigere.

DELIBERATIO.

Cui datum est tempus ad deliberandum, adiisse videtur, nisi repudiet. *L. act. cod. de jur. delib.*

DELICTUM.

1. Paria delicta mutuâ compensatione tolluntur.

2. Ubi concurrunt plura delicta, ibi concurrunt plures actiones. BALDUS.

3. Ibi debet quis puniri ubi deliquit.
BARTHOLUS.

4. Delinquere propriè est praetermittere quod non oportuit praeteriisse. Delictum, inquit Augustinus, est declinare à bono. Peccatum est cùm malum fit. ARGENTRÆUS.

5. Non ex solâ probatione delicti irrogatur infamia; sed ex sententiâ quae super probatione fertur. *Idem.*

6. Nota est foro regula haec juris romani in patriam translata : in delictis scilicet non laudari auctorem. *Idem.*

7. Nemo jubenti delictum parere cogitur : non servus domino, non filius patri, non quisquam magistratui. *Idem.*

8. Non ad solam delictorum mensuram poena imponenda est, sed et inquirendum quis fuerit ejus qui peccavit animus.

DEMENTIA.

Observandum est quòd ille qui asserit actum aliquem confectum fuisse ab insano et furioso, debet probare praecisè quòd, eo tempore confecti actûs, is laboraret eo morbo. MASCARDUS.

DEMONSTRATIO.

Falsa demonstratio non nocet.

DEPORTATIO.

1. Deportati testamentum facere non pos-

sunt, quòd nullius sint certae civitatis cives, *ut secundùm leges suae civitatis testentur.*

CUJACIUS.

2. Si cui aquâ et igne interdictum sit, ejus nec illud testamentum valet quod anteà fecit, nec id quod posteà..... In insulam deportati in eâdem causâ sunt. *Idem.*

DEPOSITUM.

1. In causâ depositi compensationi locus non est. PAULUS.

2. Etiam praedoni res deposita restituitur. *Idem.*

3. Res ibi debet restitui ubi deposita est, nisi alibi expensis petentis petatur.

BARTHOLUS.

4. In deposito pecuniae numeratae veniunt usurae à tempore more. *Idem.*

5. In deposito nullâ industriâ opus est.

6. Rei depositae proprietas apud deponentem remanet. *L.* 17, § 1, *ff. depositi.*

DEROGATIO.

Generi per speciem derogatur.

DESIDIA.

Ubi non ignorantia, sed nostra ignavia aut

cupiditas, errati causa est, ibi ignorantia non excusat. SPIEGELIUS.

DESTITUTIO.

Turpiùs ejicitur quàm non admittitur hospes.

DETRACTIO, DETRAHERE.

Antè detrahendum est quod extra bonorum quantitatem est. *L.* 73, *ff. ad leg. falcid.*

DETRIMENTUM.

Si tui operis vitio accidit, tuum est detrimentum.

DIFFIDENTIA.

Nullum velle sortiri judicem, magnum est in reo diffidentiae, in actore calumniae argumentum. BELORDÆUS.

DILATIO.

1. Dilatio temporis non potest priùs habere finem quàm principium. *L.* 81, § 9, *ff. de legat.* 1.

2. Quae dubitationis tollendae causâ contractibus inseruntur, jus commune non laedunt. *L.* 81, *ff. de reg. jur.*

3. Post de primam dilationem, alia dilatio non est danda, nisi causâ cognitâ. BARTHOLUS.

4. Cui datum est tempus ad deliberandum, adiisse videtur nisi repudiet. *L. ult.*, *cod. de jur. delib.*

5. Magnâ omninò ratione repertum est, quocum rem habeas, ad dicendam causam in jus evocari, nec antè respondere cogi quàm admonitus sit qui convenitur, et tempore ad comparandas defensiones dato. Alioqui futurum est ut rei immeditati repentino agentium incursu opprimantur. ARGENTRÆUS.

6. Dies termini, id est, à quo terminus computatur, non est in termino sed extra. RICARDUS.

7. Quod, certâ die promissum est, vel statim dari potest; totum enim medium tempus ad solvendum promissori relinquitur. *L.* 1, § 2, *ff. de edendo.*

8. Non sibi concessum intelligant judices dandae dilationis arbitrium. *L.* 1, *cod. de dilat.*

DISCIPLINA.

Disciplinam servare non potest jejunus exercitus. CASSIODORUS.

DVIDUUM.

Ex causâ potest una pars contractûs tolli, aliâ remanente. BARTHOLUS.

DIVISIO.

1. Si conventum est ne omninò divisio fiat, hujusmodi pactum nullas vires habere manifestissimum est. PAULUS.

2. Æquè necessaria est divisio inter communes, sive ex societate, sive sine societate, ex quâvis causâ satis est quod alter ab altero cogi possit dividere. MOLINÆUS.

3. Majoribus etiam per fraudem vel dolum, vel perperàm sine judicio factis divisionibus, solet subveniri.

DOLOR.

Difficillimum est justum dolorem temperare. *L.* 38, § 8, *ff. ad leg. jul. de adulter.*

DOLUS.

1. Dolus est in eo qui scit se ad quidpiam faciendum teneri, facereque potest et non vult.

2. Nimia praecautio, dolus.

3. Omnis affectatio, dolus; doloris autem malitia sua lucrosa esse non debet, nec cuiquam fraus sua patrocinari.

4. Dolum perspicuis indiciis probari convenit.

5. Imperitia dolus est et culpae adnumeratur.

6. Dolo facit qui petit quod redditurus est.

7. Nullus vivetur dolum facere, qui jure suo utitur.

8. Si duo dolo malo fecerint, invicem de dolo non agent. Dolus utriusque compensatur.

9. Dolus est vel obscurè loqui, vel obscurè dissimulare.

10. Non potest dolo carere qui imperio magistratûs non paruit.

11. Non videtur esse in loco quod dolo adversarii illatum est.

12. Conventio ne quis teneatur de dolo non valet. ACCURSUS.

13. Nihil dolo creditor facit, qui suum recipit. PAULUS.

14. Dolus malus fit calliditate et fallaciâ, et quoties circumscribendi alterius causâ aliud agitur, et aliud agi simulatur. *L.* 9, § *de pactis*.

15. Non potest non malâ mente et offensione recti admitti, quod dolo admissum dicitur. ARGENTRÆUS.

16. In minore infante non est dolus.

17. Majoribus etiam per fraudem vel dolum, vel perperàm sine judicio factis divisionibus, solet subveniri.

18. Labeo sic definit dolum malum esse omnem calliditatem, fallaciam machinationem, ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam. Labeonis definitio vera est.

DOMICILIUM.

1. Domicilium est ubi qui uxorem, liberos, tabulas, instrumentum rei domesticae habet, ubi rerum fortunarumque suarum summam constituit, undè non discessurus, si nihil avocet, undè cùm discessit peregrinari videtur.

2. Cives origo, incolas domicilium facit.

3. Haeres potest conveniri, ubi proprium habet domicilium.

4. Nihil est impedimento quominùs quis ubi velit habeat domicilium, quod ei interdictum non sit. MARCELLUS.

5. Consilio simul et facto constituitur domicilium, nec alterum sine altero sufficit. ARGENTRÆUS.

6. Nulla tempora domicilium constituunt aliud cogitanti. *Idem.*

7. Quotiescumque de capacitate aut habilitate personarum quaeritur, domicilii leges et statuta spectantur. BARTHOLUS.

DOMINUS, DOMINIUM.

1. Suarum rerum unusquisque est arbiter et dominus.

2. Nemo plus juris in alium transferre potest quàm ipse habet.

3. Quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest.

4. Res prodest domino suae proprietatis.
5. Inscio domino, per colonum praejudicium imponi non potest.
6. Nemo rem alienam invito domino vendere potest.
7. Non videtur perfectè cujusque id esse, quod ex casu ei auferri potest. *L.* 139, *ff. de reg. jur.*
8. Nemo potest esse auctor in rem suam.
9. Dominium sine possessione non acquiritur. ARGENTRÆUS.
10. Nemo invitus carere debet re suâ, etiam justo pretio.
11. Si quod meum est, tibi trado tanquàm tuum, non transfero dominium. BARTHOLUS.
12. Meum est quod ex re meâ superest, cujus vindicandi jus habeo. *L.* 49, *ff. de rei vindicat.*
13. Quoties duobus insolidum praedium jure distrahitur, manifesti juris est, eum cui priori traditum, in detinendo dominio esse potiorem. *L. quoties, cod. de rei vindic.*

DOMINUS LITIS.

1. Procuratore semel in judicio comparente, in reliquum citari ipse potest, cùm litem susceperit, et, ut loquuntur, dominus litis factus sit. ARGENTRÆUS.
2. Procurator litium omnem culpam praestare debet, etiam levissimam. *Idem.*

DOMUS.

1. Domus tutissimum cuique refugium atque receptaculum. *L.* 18, *ff. de in jus voc.*

2. Domum suam reficere unicuique licet, dùm non officiat invito alteri, in quo jus non habet. ULPIANUS.

3. Domum emi, cùm eam, et ego et venditor combustam ignoraremus, Nerva, Sabinus, Cassius, nihil vaenisse quamvis area maneat, pecuniamque solutam condici posse aiunt. *L.* 57, *ff. de cont. emp.*

4. Appellatione domûs non veniunt *ruta* et *coesa*.

DONATIO.

1. Senectus ad donationem faciendam sola non est impedimento.

2. Qui non potest dare, non potest confiteri.

3. Non videntur data quae, eo tempore quo dantur, accipientis non fiunt.

4. Qui dat et retinet, dare non videtur.

5. Non videtur perfecta donatio mortis causâ facta, antequàm mors insequatur. ULPIANUS.

6. Donatio non dicitur, si officium aliquod quâdam mercede remuneretur. DUFAIL.

7. Donatio ex solâ donantis intentione corruit, si malâ mente facta est. ARGENTRÆUS.

8. Donatio quae depravato consilio fit malevolentiâ haeredis et eâ fine, ne habeat, improbatur. *Idem.*

9. In totum corruere debuisse dicimus talem contractum (donationem), quantumlibet per se favorabilem, quam non amor aut matrimonii causa primaria, sed haeredis odium incitavit. *Idem.*

10. Ultra id donâsse quod lex permisit, personis praesertim prohibitis, excessus est. *Idem.*

11. Si nulli sint, aut moriantur liberi ante donationem, revalescit donatio. *Idem.*

12. Quod fraude haeredis praesumpti donator fecit, non prohibetur haeres, quantumlibet acceptatâ haereditate oppugnare. *Idem.*

13. Unius haeredis donatio facta, tota corruit, ut facto individuo; agit enim odium in totum actum cùm motus et intentio donantis ab odio manavit.

14. Donatio remuneratoria non est propriè donatio, sed potiùs permutatio, seu compensatio et titulus onerosus. MOLINÆUS.

15. Donatio ob causam meritorum inter personas prohibitas non valet. CHOPINUS.

16. Difficile et omninò sustineri donationes remuneratorias, et rarum est ut tales non subvertantur propter fraudis suspicionem, nisi vehementes probationes ostenderentur de meritis, hisque non vulgaribus, sed extraordi-

nariis; nam confessio donatoris ad id non valeret inter prohibitos. TIRAQUELLUS.

17. Post contractum capitale crimen donationes factae valent nisi condemnatio accusationem secuta sit ante factam donationem. *L.* 15, *ff. de don.*

18. In mortis causâ donationibus, non tempus donationis, sed mortis, intuendum est an quis capere possit. *L.* 22, *ff. de mortis causâ donationibus.*

19. Tritissimus in foro, vel etiam apud impuritos, textus, in id, ut si tria concurrant, inducatur donationis praesumptio, nempè ratio sanguinis, taciturnitas longi temporis, et saepiùs facta compensatio. MORNACIUS.

20. Remunerare, solvere est, non donare. Donatio remuneratoria, non tàm donatio, quàm merces eximii laboris appellanda est. *L.* 34, *tit.* 5, *de don.*

21. Perfecta donatio conditiones post eà non capit. *L.* 3, *ff. de don.*

22. Nemo videtur donare id de quo non cogitavit. Nec ignorans, nec invitus quisquam donat. BARTHOLUS.

DOS.

1. Profectitia dos ad patrem revertitur, filiâ mortuâ.

2. In dote eam diligentiam praestat maritus quam exhibet in rebus suis.

3. Nulla dos sine matrimonio.

4. Dos in fraudem creditorum constitui non debet.

5. In stipulatione dotis inest tacita conditio, si matrimonium sequatur. BARTHOLUS.

6. In ambiguis, pro dotibus respondere melius est. PAULUS.

7. Dos indebitè reddita condicitur. BARTHOLUS.

8. Dos nudâ confessione non constituitur, sed numeratione. BALDUS.

Dos confessata, non numerata effectualiter, repeti non potest. SALYCET.

Dotem numeratio, non scriptura dotalis instrumenti facit. *L.* 1, *cod. de dote.*

9. Omnis dotis promissio futuri matrimonii tacitam conditionem accipit. *L.* 68, *ff. de jure dotium.*

10. Res quae ex dotali pecuniâ comparatae sunt dotales videntur. *L.* 54, *ff. de jure dotium.*

11. Reipublicae interest mulieres dotes salvas habere, ut nubant. *L.* 2, *ff. de jure dot.*

DURITIES.

Duro corde praeditus, in miserias tandem incidet.

EDERE.

1. Reus potest exigere ab actore ut edat si-

bi instrumenta, si ea scilicet in suâ potestate habeat, quibus contendit se posse causam suam instruere, vel exceptionem probare.

Attamen nemo edere contra se tenetur.

2. Non debet edi totus liber, sed tota ratio, prout pertinet ad petentem.

BARTHOLUS.

3. Absurdum esset, ut is in eâ causâ sit, ut edere debeat, tamen sibi edi postulet. *L. si quis ex argent. § prohibet, ff. de edendo.*

4. Quod produco, non reprobo.

ELECTIO.

Generaliter, permissâ electione, magis idoneus eligi debet. ARGENTRÆUS.

EMPTIO, VENDITIO.

1. Ab emptione, venditione, caeterisque obligationibus, consensu eorum qui obligati sunt recedi posse dubium non est. *L.* 58, *cod. de pactis.*

2. Post traditionem impositam nuda voluntas non resolvit. *L. quandò lic. ab. empt. cod.* 1.

3. Res bonâ fide vendita, propter minimam causam inempta fieri non debet.

4. Sicuti lucrum omne ademptorem haereditatis respicit, ità damnum quoque debet ad

eumdem respicere ; nam quem sequuntur commoda sequi debent et incommoda.

5. Venditor non tenetur de casu fortuito.

6. Non dubitatur, etsi specialiter venditor evictionem non promiserit, re evictâ, ex empto competer actionem.

7. Aliud est vendere, aliud vendenti consentire.

8. In contrahendâ venditione ambiguum pactum contra venditorem interpretandum est.

9. Pluribus ementibus ab eodem, potior est cui traditio facta est.

10. Sine pretio nulla est venditio; non autem pretii remuneratio perficit sine scriptis habitam emptionem. ULPIANUS.

11. Consistit emptio, sive fundatur super re, sive super spe. BALDUS.

12. Cùm in corpore dissentiatur, apparet nullam esse emptionem. — Nihil autem facit error nominis, cùm de corpore constat. ULPIANUS.

13. Non valet venditio, si pretii quantitas in emptoris arbitrium conferatur. BARTHOLUS.

14. Emptio rei suae non valet, etiamsi ematur à creditore cui obligata est. BALDUS.

15. Cùm fundus venditur ad mensuram, si plus fuerit inventum quàm fuerit dictum, pro toto debetur pretium. *Idem.*

16. Sive tota res evincatur, sive pars, habet regressum emptor in venditorem.
ULPIANUS.

17. Vitium rei venditae post contractum superveniens, non parit causam evictionis.

18. Quandò res evincitur facto emptoris, etiam antecedente emptione, non tenetur venditor. BARTHOLUS.

19. Qui bonâ fide alienum fundum emit, eumdem à domino *conduxit*, quaero utrùm desinat possidere, an non? In promptu est, ut possidere desierit. MARCELLUS.

20. Si ab eo emas quem praetor vetuit alienare, idque tu scias, usu capere non potes.
PAULUS.

21. In venditione bonorum etiam usufructus veniat, quia appellatione domini fructuarius quoque continetur. ULPIANUS.

22. Semper praesumitur mala fides in eo qui emit ab alio in qualitate procuratoris alterius, si mandatum non videt.
ARGENTRÆUS.

23. Qui rem alienam vendit, dicitur esse in culpâ. *Idem.*

24. Ante pretium solutum, dominii quaestione motâ, pretium emptor solvere non cogitur, nisi fidejussores idonei à venditore ejus evictionis offerantur. *L.* 18, § 1, *ff. de peric. et comm. rei vind.*

25. Imprimis ipsam rem praestare vendito-

rem oportet, id est tradere. *L.* 11, § 1, *ff. de act. compt. et vend.*

26. Evictâ re, ex empto actio, non ad pretium duntaxat recipiendum, sed ad id quod interest, competit. *L.* 70, *de evict.*

27. In omnibus casibus, si sciens alienam rem vendidit, omninò tenetur. *L.* 51, 45, *ff. de act. empt. et vend.*

28. Nemo videtur eam rem vendidisse de cujus dominio id agitur, ne ad emptorem transeat. Talis est locatio, aut aliud genus contractûs.

29. Viliter emere et carè vendere omnes volunt. AUGUSTINUS.

30. Res empta ex pecuniâ meâ non est mea, nisi meo nomine empta sit.

ENS.

1. Non entis nullae sunt qualitates.
2. Priùs est esse quàm esse tale.

ENUMERATIO.

Exclusa censentur omnia quae lex enumerando non inclusit.

ENUNTIATIVA.

1. Enuntiativa probant in antiquis, seu in

antiquis omnia praesumuntur ritè et solemniter acta.

2. Verba enuntiativa à testatore prolata creditoribus non praejudicant. PAULUS.

EPISTOLA.

1. In his quae per epistolam geri possunt, per eam inducitur obligatio.

BARTHOLUS.

2. Epistola commendandi magis quàm mandandi causâ scripta est.

3. Falsum is committit qui obsignatas alterius litteras operit, legit aut alii legendas tradit.

ARGENTRÆUS.

ERROR.

1. Error imperitorum non facit jus, secùs error communis.

2. Errores advocatorum, vel libellos concipientium veritati praejudicare non posse saepè rescriptum est.

3. Error calculi etiam per longum tempus retractari potest.

4. Jus civile vigilantibus scriptum est, non dormientibus. Aliàs : jura vigilantibus subveniunt.

5. Justè creditur quod communiter creditur.

6. Error juris non inducit malam fidem.

BARTHOLUS.

7. Error in jure, non eodem loco quo facti, ignorantia haberi debebit. *L.* 2, *ff. de jur. et fact. ignor.*

Nota. Non datur vacuum in opere, sed in numero tantùm.

8. Quod non ratione introductum, sed errore primùm, deindè consuetudine obtentum est, in aliis similibus non obtinet. *L.* 33 *et seq.*, *ff. de leg.*

Hæc est exceptio regulæ 10, *littera* J, *caput.* 5.

9. Errorem quisque suum corrigere potest, et jure etiam permissum est.

10. Errare et decipi turpe ducimus.

11. In errore facti non distinguuntur damna à compendiis; in errore juris distinguuntur.

Cujacius.

EVENTUS.

1. Frustrà expectatur eruditio, cujus eventus nihil operatur. Accursus.

2. A conatu, non ab eventu, quamlibet rem judices.

3. Non est audiendus qui postulat quod in contrarium eventum non esset postulaturus. *L. penult.*, *cod. de solut.*

EVICTIO.

1. Quem de evictione tenet actio, eumdem agentem repellit exceptio.

2. Sive tota res evincatur, sive pars, habeat regressum emptor in venditorem.

ULPIANUS.

3. Vitium rei venditae post contractum superveniens non parit causam evictionis.

4. Quandò res evincitur facto emptoris, etiam antecedente emptione, non tenetur venditor.

BARTHOLUS.

5. Non dubitatur, etsi specialem venditor evictionem non promiserit, re evictâ, ex empto competere actionem. *L.* 6, *cod. de evict.*

6. Evictâ re, ex empto actio, non ad pretium duntaxat recipiendum, sed ad id quod interest, competit. *L.* 70, *de evict.*

7. Non tenetur venditor de futuro casu. *L.* 11, *ff. de evit.*

8. Non tenetur venditor si ex personâ emptoris, vel facto, res evicta sit. *L.* 27, *ibid.*

EVIDENTIA.

1. Nulla est major probatio quàm evidentia rei.
2. Manifesta non egent probatione.

EVOCATIO.

1. Magnâ omninò ratione repertum est, quocum rem habeas, ad dicendam causam in jus evocari, nec antè respondere cogi quàm admonitus sit qui convenitur, et tempore ad com-

parandas defensiones dato. Alioqui futurum est ut rei immeditati repentino agentium incursu opprimantur. ARGENTRÆUS.

EXCEPTIO.

1. Exceptio firmat regulam in casibus non exceptis: si exceptio facit ne liceat, ibi necesse est licere, ubi non est exceptum.

CICERO.

2. Omnis exceptio peremptoria, non impugnans sententiam, sed eam moderans, etiam post sententiam opponi potest.

3. Inclusio unius est exclusio alterius.

4. Quem de evictione tenet actio, eumdem agentem repellit exceptio.

5. Juri convenit, ut cui datur actio, ei multò magis detur exceptio.

STYPMANNUS.

6. Dilatoria exceptio in exordio litis proponi debet. *L. penult.*, *cod. de excep.*

7. Reus in exceptione actor est. Reus excipiendo fit actor. *L.* 1, *ff. de excep.*

8. Nemo prohibetur pluribus exceptionibus uti, quamvis diversae sint. *L.* 8, *ibid.*

9. Quae temporalia sunt ad agendum, perpetua sunt ad excipiendum.

10. Omnes exceptiones quae reo competunt, fidejussori quoque, etiam invito reo competunt.

MARCIANUS.

11. Actionis verbo non continetur exceptio.
PAULUS.

12. In dolo videtur esse qui exceptionem proponit quam non probat.
ARGENTRÆUS.

13. Rei cohaerentes exceptiones etiam fidejussoribus competunt. *L.* 7, *de excep.*

14. Vendicantem rem quam quis vendidit, repellit exceptio doli. *L. videndum, ff. de excep.*

15. Captiosa exceptio nocet excipienti, generalis exceptio permissa est ignoranti, specialis à scienti exigetur.

16. Excipiendi et poenam petendi jus habens alterutrum eligere debet.

EXCLUSIO.

1. Exclusa censentur omnia quae lex enumerando non inclusit.

2. Qui de uno dicit negat de altero.

EXCUSATIO.

Vani timoris justa non est excusatio.
CELSUS.

EXECUTIO.

1. Jus exsequendi non mutatur nec amittitur ex parte creditoris; quo mortuo, haeredes

vocantur ut instrumentum declaretur executorium. PANORM. ET ALII.

EXECUTOR.

Executor dolum et latam culpam praestat. ARGENTRÆUS.

EXEMPLUM.

1. Exemplum exempli non facit fidem.
2. Rationibus, non exemplis est judicandum.
3. Species expressae per modum exempli non restringunt.
4. Non creditur exemplo, nisi producatur originale, cujus memoria in secundo facta sit.
5. Quod exemplis tuemur, olim erit inter exempla.

EXERCITUS.

Disciplinam servare non potest jejunus exercitus. CASSIODORUS.

EXIGERE.

1. Intelligentia dictorum ex causis est assumenda, quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus.
2. Bona fides non patitur ut bis idem exigatur. *L. 67, ff. de reg. jur.*

EXPENSÆ.

Multa sunt obligatione individua quae solutione dividuntur. *L. in executione, ff. de verb. obl.*

EXPRESSA.

1. Expressa nocent, non expressa non nocent. *L.* 195, *ff. de div. reg. jur.*
2. Propositum in mente retentum parte non expressum nil relevat. BARTHOLUS.
3. Dispositio quae statuto expressa non est, sed tamen expresso fit affinis et conjuncta, ut eodem spiritu, id est, ratione animetur, videri debet, non per extensionem, sed in mente statuti intellecta et comprehensa, et incogitantiâ potiùs omissa quàm intentione statuentium qui, interrogati, haud dubiè idem erant responsuri. ARGENTRÆUS.
4. Ea quae sunt moris, pro expressis habenda sunt.

EXTENSIO.

1. In prohibitione statuti, non fit extensio de personâ ad personam, nec de gradu ad gradum.
2. De re ad rem non fit extensio.
3. In materiâ à jure civili exorbitante, non est facienda extensio ex paritate, ac ne ex

majoritate quidem rationis, sed in suis terminis servari debet (lex).

4. In poenalibus non fit extensio de similibus ad similia, quandò poenae imponuntur respectu alicujus personae, etiamsi ipsi casus essent in jure aequiparati.

5. Dispositio quae statuto expressa non est, sed tamen expresso fit affinis et conjuncta, ut eodem spiritu, id est, ratione animetur, videri debet, non per extensionem, sed in mente statuti intellecta et comprehensa, et incogitantiâ potiùs omissa quàm intentione statuentium qui, interrogati, hâud dubiè idem erant responsuri. *Idem.*

6. Constitutiones principium sunt stricti juris, nec extendi debent. CUJACIUS.

FACTUM.

1. Factum suum cuilibet est nocivum.

2. Non verbis, sed factis standum est.

3. Generaliter, factum tutoris, factum pupilli.

4. Quod incautè factum est, pro non facto est, si eligi potest. *L.* 1, § 2, *de his quae in test. delet.*

5. Factum non videtur, cùm superest aliquid agendum. *L. penult. infr., cod. de his quibus ut indig.*

6. Factum suum nemo rectè impugnat. *L. post mortem, ff. de adopt.*

7. Incontinenti factum interpretatur, quod fit cum aliquo moderato spatio. *L.* 1, § *in rem*, *ff. ad leg. aquil.*

8. Facti quaestio est in potestate judicantis, juris auctoritas et potestas non item.

Poena à lege statuta non est in potestate judicantis.

Corruptae judicum videntur sententiae, si sint legibus mitiores. CUJACIUS.

9. Nemo potest praecisè cogi ad factum.

FACULTAS.

Ea quae sunt facultatis et voluntatis, non praescribuntur. CHASSANÆUS.

FALSUM.

1. Falsi nominis vel cognominis adseveratio, poenâ falsi coercetur; sed nominis mutatio, sine fraude, non est illicita.

2. Nullum falsum, nisi nocivum.

3. Falsum est, quod animo corrumpendae veritatis, in alterius fraudem dolo malo fit. *L.* 20, *cod. ad leg. corn. de falsis.*

4. Perpetua est exceptio falsi.

FAMA.

1. Famà est quod à plerisque aut à majori parte dicitur, vel vox totius populi inveterata.

2. Vera est Baldi sententia, famam non esse per se speciem probationis, sed egere adminiculis et substantiâ veri et valere ad inquirendum, non ad judicandum, et circa praeparatoria, non circa decisoria.

ARGENTRÆUS.

FAVOR.

1. Actor sequitur forum rei.
2. Beneficium legis non debet esse captiosum.
3. Quidquid in alicujus favorem conceditur, in ejusdem dispendium non est retorquendum.
4. Beneficiis favendum, non duritiae.
5. Favorabiliores rei quàm actores habentur.
6. In favorem prolis potiùs declinamus.

INNOCENT. III.

FICTIO.

1. Tantùmdem operatur fictio quàm veritas, in casu vero.
2. Fictio debet tantùm porrigi ad id quod per rerum naturam non est impossibile. *Glossa in leg.* 3, *ff. pro socio.*
3. Legis est fictiones introducere, non hominis.

FIDEJUSSOR.

1. Renuntians successioni pro nullo habetur.
2. Satisfactio (id est, datio fidejussoris) pro solutione est. ULPIANUS.

3. Non est ambigui juris, reo electo et solvente, fidejussorem liberari. *L.* 2, *cod. de fidej.*

4. Fidejussores ita obligati non sunt, ut plus debeant quàm debet is pro quo obligantur. — Nam eorum obligatio accessio est principalis obligationis. § 3, *instit. de fidej.*

5. Excusatur fidejussor, si res esset etiam penes creditorem peritura. 4. 2, *ff. si quis act.*

6. Rei cohaerentes exceptiones etiam fidejussoribus competunt. *L.* 7, *ff. de except.*

7. Peracto locationis tempore, non tenetur fidejussor, nec alterius pignus.

ACCURSUS.

8. Fidejussor non potest in plus obligari, re, vel loco, vel tempore, vel causâ; sed potest arctiori vinculo teneri quâm reus principalis.

9. Sciendum est non plus fidejussorem consequi debere mandati judicio, quàm quod solverit.

FIDES.

1. Fidem frangenti fidem servare necesse non est.

2. Bona fides non patitur ut bis idem exigatur. *L.* 67, *ff. de reg. jur.*

3. Fidem ejus secutus es, ergo et domicilium sequi debes.

4. Error juris non inducit malam fidem.

BARTHOLUS.

5. Ubi lex inhibet usucapionem, bona fides possidenti nihil prodest. POMPONIUS.

6. Certum est malae fidei possessores omnes fructus solere cum ipsâ re praestare. *L.* 22, *cod. de rei vindic.*

7. Multorum fides potior est, nec tàm facile accusari potest. ARGENTRÆUS.

8. Semper praesumitur mala fides in eo qui emit ab alio in qualitate procuratoris alterius, si mandatum non videt. *Idem.*

9. Bona fides subesse non potest, cùm restitutionis probatio iniquitatem detegat contrahentis.

FINES.

Non praesumuntur fines antiqui mutati, nisi probetur. BALDUS.

FISCUS.

1. Non puto delinquere eum qui in dubiis quaestionibus contra fiscum facilè responderit.
2. Rarò bona causa fisci sub bono principe.

FORMA.

1. Mutata forma propè interemit substantiam rei.
2. Solemnitas extrinseca non presumitur, nisi probetur. BARTHOLUS.

FOENUS.

Magistratus foenus exercere prohibentur, ut turpe et indignum. ARGENTRÆUS.

FRAUS.

1. Non refert quo nomine res veletur, dummodò subsit veritas.

2. Inter proximos et propinquos fraus facilè praesumitur.

3. Nimia precautio, dolus.

4. Omnis affectatio, dolus; dolosis autem malitia sua lucrosa esse non debet, nec cuiquam fraus sua patrocinari.

5. Ab omni negotio fraus abesto.

6. Nemo tàm supinus est, ut scribi patiatur quae fraudulenter fecit.

ARGENTRÆUS.

7. Dolum perspicuis indiciis probari convenit.

8. Quidquid sit in fraudem creditorum nullius est momenti.

9. Generaliter, cùm de fraude agitur, non quid habet actor, sed quid per adversarium habere non potuit, considerandum est.

PAPINIANUS.

10. Subsistente materiâ fraudis et suspicione, quantò plures cautelae et circuitus adhibentur, tantò à simplicitate veritatis et bonae fidei receditur, et fictionis suspiciones multiplicantur: ubi enim abundantior cautela, ibi evidentior fraus. MOLINÆUS.

11. Quoties in fraudem legis fit alienatio, non valet quod actum est.

12. Nemo videtur fraudare eos qui sciunt et consentiunt. *L.* 145, *ff. de reg. jur.*

13. Non praesumitur fraus et simulatio, ubi inter eosdem, aliâ apertâ viâ, idem fiari potuit. MOLINÆUS.

14. Falsum est, quod animo corrumpendae veritatis, in alterius fraudem dolo malo fit. *L.* 20, *cod. ad leg. corn. de falsis.*

15. In fraudis interpretatione, non eventus duntaxat sed consilium spectatur. *L.* 49, *ff. de reg. jur.*

16. Majoribus etiam per fraudem vel dolum, vel perperàm sine judicio factis divisionibus, solet subveniri.

17. Actionem dabo adversùs eum qui fraudem fecit, et cum eo qui fraudem non ignoraverit.

FRUCTUARIUS.

1. Fructuarius causam proprietatis deteriorem facere non debet. *L.* 13, *ff. de usufr.*

2. Omnis fructus rei ad fructuarium pertinet; quidquid indè percipi potest ipsius fructus est. *L.* 7, 9, 59, *ff. de usufr.*

3. Stantes fructus ad fructuarium pertinent. *L.* 27, *ff. de usufr.*

FRUCTUS.

1. Fructus et partus futuri rectè emuntur.

Attamen politia prohibet viridium segetum emptionem.

2. Fructus pendentes pars fundi habentur (nisi de contrario constet).

3. Omnis fructus, non jure seminis, sed jure soli percipitur.

4. Superficies solo cedit.

5. Actus possessorii omnes quos quisquam exercet debent determinari à suâ causâ, id est, semper referri ad titulum correlativè, ut omninò fructus collegisse et tenuisse quisquis putandus sit, ex eo titulo quem habet.

6. Fructus à solo nondùm separati faciunt partem fundi et cum solo possunt vindicari. Priusquàm enim fructus à solo separentur, non propriè fructus sunt, sed pars fundi.

7. Fructus naturales ejus sunt qui jus fruendi habet eo tempore quo à solo separantur. Separantur autem cùm sunt maturi.

ARGENTRÆUS.

8. Protinùs à matrimonio et statim quàm maritus esse et dici potuit, fructus ei tribuuntur.

Idem.

9. Quidquid in fundo nascitur, quidquid indè percipi potest, ipsius fructus est. *L.* 9, *ff. de usufr.*

10. Hoc fructuum nomine continetur quod justis sumptibus deductis superest. *L.* 1, *cod. de fruct.*

FUGA, FUGERE.

Qui fugit, videtur esse in loco à quo fugit.
BARTHOLUS.

FUNDAMENTUM.

1. Sublato fundamento, corruit aedificium.

2. Sublato principali, nec ea quae sequuntur locum habent.

FUNDUS.

1. Alia est aestimatio possessionis, alia fundi, seu proprietatis. BARTHOLUS.

2. Scienti alienum solum esse, potest objici culpa, quòd aedificaverit temerè in solo quod intelligeret alienum esse.

FUR.

Fur semper est in morâ, ideòque ad eum semper spectat periculum interitûs. *Idem.*

FUROR.

1. Furor nuptias impedit, factas verò non infirmat.

2. Furor interveniens non rumpit testamentum ante furorem conditum.

3. Observandum est quòd ille qui asserit actum aliquem ab insano et furioso confectum fuisse, debet probare praecisè quòd, eo tempore confecti actûs, is laboraret eo morbo.

MASCARDUS.

FURTIVUM.

1. Quod ex re furtivâ redigitur, furtivum non esse nemini dubium est. ULPIANUS.

2. Pretium rei furtivae non est furtivum.

ARGENTRÆUS.

FUTURUM.

1. Verba praesentis temporis non porriguntur ad futura. BARTHOLUS.

GRATIA.

Jungat aequalis gratia quos junxit aequalis natura. AMBROSIUS.

HÆREDES, HÆREDITAS.

1. Nemo haeres invitus, sufficit abstinuisse.

2. Haeres inventarii beneficiò non tenetur ultra vires haereditarias.

3. Haeres censetur cum defuncto una eademque persona.

4. Qui semel est haeres, non desinit esse haeres, sed perpetuò haeres manet. *De reg. jur.*

5. Poenae ab haeredibus peti non possunt,

si non est quaestio mota vivo eo qui deliquit. *L. interdùm* 16, *de poenâ*, *ff. publ. vectig. et comm.*

6. Non debeo melioris conditionis esse quàm auctor meus, à quo jus in me transit.

7. Haereditas adita non est ampliùs haereditas, sed patrimonium haeredis.

8. Beneficium restitutionis transit ad haeredes. BARTHOLUS.

9. Haeres potest conveniri ubi proprium habet domicilium.

10. Tempus negligentiae auctoris conjungitur cum negligentiâ successoris. *Idem.*

11. Coeptam usucapionem à defuncto posse et ante aditam haereditatem impleri constitutum est. NERATIUS.

12. Turpia lucra sunt ab haeredibus extorquenda, licet crimina extinguantur. *L.* 5, *ff. de calum.*

13. Quod fraude haeredis praesumpti donator fecit, non prohibetur haeres quantumlibet acceptatâ haereditate oppugnare.

ARGENTRÆUS.

14. Capacitas haeredis spectari debet morte, idest, delatae haereditatis tempore. *Idem.*

15. Haereditas pacto, neque dari, neque adimi potest.

16. Iniquum est, ut quibus competit aequa successio, alii abundanter affluant, alii paupertatis in commodis ingemiscant.

AMBROSIUS.

17. Haeredem ejusdem potestat's jurisque esse cujus fuit defunctus, constat de regulis juris antiqui.

18. Omnia ferè jura haeredum perindè habentur ac si continuò sub tempore mortis haeredes exstitissent. *L.* 193, *de reg. jur.*

19. Nec emere, nec donatam, nec damnosam quisque adire haereditatem compellitur. *L.* 1, *cod. de jure delib.*

20. Ex conducto ad haeredem actionem transmitti palàm est. *L.* 19, § 8, *ff. locat.*

21. (In optionibus) cùm semel dixerit haeres utrùm dare velit, mutare sententiam non poterit. *L.* 84, *n.* 1, *ff. de leg.*

22. Ab haerede venditâ haereditate, separatio frustrà desiderabitur, utiquè si nulla fraudis suspicio incurrat, nam quae bonâ fide medio tempore per haeredem gesta sunt, rata conservari solent. *L.* 1, *ff. de separ.*

23. Justum est ut quos propinquitatis natura consociat, haereditariae successionis ordo non dividat.

24. Non valet pactum de haereditate viventis, nisi ipse voluntatem suam eis accommodaverit et in eâ usque ad extremum vitae spiritum perseveraverit. *L. fin.*, *cod. de pact.*

25. Si quid inter cohaeredes perperàm vel inaequaliter factum esse constiterit, in melius reformari debet.

26. Ex solâ repraesentatione nemo quoad

extraneos obligatur, genitoris sui haereditate abstinet nepos, rectè et avi et patrui successor est, negatâ paternis creditoribus actione.

SOMMEREN.

27. Cùm quis debitori suo haeres exstiterit, confusione creditor esse desinit; sed si vendiderit haereditatem emptor haereditatis vicem haeredis obtinet. *L.* 2, *ult. de haeredit. vel act. vend.*

Clarior est altera lex, dicens: si is qui haereditatem vendidit, et emptori tradidit, quod sibi mortuus debuerat, non retinuit, repetere potest, quia plus debito solutum per conditionem rectè recipietur. *L. si is qui* 45 *de condit. indeb.*

28. Hanc legem perpetuò tene, quae dicit quòd, sublato filio de medio, nepos succedit loco filii.

BARTHOLUS.

29. Corvina conventio est, pacisci de viventis haereditate, eo ignorante.

GOTHOFREDUS.

30. Haeres sub inventarii beneficio verè haeres est, et tàm saisitum se dicere potest quàm alii haeredes.

ARGENTRÆUS.

31. Uni haeredi contra alium nulla actio dari potest de eo quod facto communis auctoris accidit, nec lege ullâ inducitur. *Idem.*

32. Non omnis mulier, viro juncta, uxor est viri, neque omnis filius haeres est patris: itaque aliud est uxor, aliud concubina; sicut aliud ancilla, aliud libera. *Caroli Magni capit.*, *cap.* 41, *de uxoribus et concub.*

33. Haereditas propria dicitur ante aditam haereditatem, post aditam, patrimonium fit haeredis. GOTHOFREDUS.

HOMICIDIUM, HOMICIDA.

Homicidas existimari oportet non eos solùm qui vitam adimunt, sed et eos qui omnia faciunt palàm aut clàm, ut quemquam interimant etiamsi facinus ipsum nondùm commiserint. GROTIUS.

HONESTAS.

1. Multa honestè accipiuntur. *L.* 1, *ff. de var. et ext. cognit.*

2. Non omne quod licet honestum est; attamen ubi non est lex, nec praevaricatio. PAULUS.

HOSTIS.

1. Transfugae nullum postliminium est, nam qui malo consilio et proditoris animo patriam reliquit, hostium numero habendus est. *L.* 19, § 4, *ff. de captivis et postliminio.*

2. Ea quae ex hostibus capimus, jure gen-

tium, statim nostra sunt. *De rerum divis.*

HYPOTHECA.

1. Qui prior est tempore, potior est jure.
2. Hypotheca est tota in toto et in quâlibet parte, tanquam indivisibilis.
3. Qui hypothecam habet, rem ipsam habere videtur.
4. Is qui actionem habet ad rem recuperandam, rem ipsam habere videtur. *L.* 15, *ff. de reg. jur.*
5. Aut cedat, aut solvat. (Regula in hypothecis servata).
6. Hypotheca est obligationis filia.

ARGENTRÆUS.

7. Eadem hypotheca, idem pignus et jus omne quod in ipso pignore habuit prior creditor, transiisse in posteriorem intelligitur.

CUJACIUS.

IDEM.

Idem agens et patiens esse non potest.

ARGENTRÆUS.

IDONEUS.

Jura loquentia de personis, loquuntur de idoneis.

IGNORANTIA.

1. Error imperitorum non facit jus, secùs error communis.

2. Parcitur justae ignorantiae, non scienti aut ei qui scire debuit.

3. Ignoranti praesumitur ubi scientia non probatur.

4. Non potest supinè ignorari quod publicè notum sit. ARGENTRÆUS.

5. Juris ignorantia cuique nocet, non facti.

6. Pessimum genus ignorantiae, ignorare quod omnes intelligunt.

7. Imperitiae tribuitur ignorâsse aut non intellexisse quod omnes sciunt, non vidisse quod omnes vident. *Idem.*

8. Ubi non ignorantia, sed nostra ignavia aut cupiditas errati causa est, ibi ignorantia non excusat. SPIEGIELIUS.

9. Nemo censetur ignorare legem.

10. Qui cum alio contrahit legem non debet esse ignarus conditionis ejus quocum contrahit.

11. Error in jure, non eodem loco quo facti, ignorantia haberi debebit. *L.* 2, *ff. de jur. et fact. ignor.*

Nota. Non datur vacuum in opere, sed in numero tantùm.

12. Inscitia omnis arrogantiae mater est.

ILLICITUM.

Danti operam rei illicitae imputantur omnia quae sequuntur praeter voluntatem suam.

PANORMUS.

IMMOBILE.

Actio ad mobile consequendum mobilis est; ad immobile, immobilis.

IMMUTABILIA.

Immutabilia sunt rerum vocabula, hominum verò mutabilia.

IMPENSÆ.

1. Omnis litigator victus debet impensas. *Ex leg. 5, cod. de fruct. et lit. imp.*

2. Impensae necessariae sunt eae quae, si factae non essent, res aut peritura aut deterior futura sit. *L.* 79, *ff. de verb. sign.*

IMPERIUM.

1. Imperiosissimum rogandi genus, cùm qui imperare potest rogat. PLINIUS.

2. Par in parem nullum habet imperium.

3. Prior auctoritas imperantis quàm utilitas servientis.

IMPERITIA.

1. Nemo debet suscipere id in quo novit suam imperitiam vel imprudentiam alteri dannosam fore. *L.* 32, *ff. de reg. jur.*

2. Imperitia dolus est, et culpae adnumeratur.

3. Imperitiae tribuitur ignoràsse aut non intellexisse quod omnes sciunt, non vidisse quod omnes vident. ARGENTRÆUS.

4. Imperitiae artificis non succurritur; quia unusquisque peritiam in arte suâ praestare debet. Quamobrem si quis per imperitiam in arte suâ alicui nocuerit tenebitur. *L.* 132, *ff. de jur.*

IMPOSSIBILE.

1. Iniquum est ut id exigas quod ipse praestare non possis.

2. Impossibilis conditio pro non scriptâ habetur. Impossibilium nulla obligatio: neque ad impossibile tenetur.

3. Despice ne sit parùm providum sperare ex aliis; quod ipse non praestes. BACON.

4. Impossibile est idem esse simul et non esse.

INAUDITUS.

1. Divi Severi et Antonini magni rescriptum

est, ne quis absens puniatur. Et hoc jure utimur, ne absentes damnetur; neque enim inauditâ causâ quemquam damnari aequitatis ratio patitur. MARCIANUS.

2. Nemo rebus suis interdictus existimetur, nisi auditus. ARGENTRÆUS.

3. Inauditum damnare licet neminem.

INCAPACITAS.

1. Quos lex capere vetat, eosdem usus capere prohibet. *L. alienationis, verbo ff. de verb. sig.*

2. Incapaces nec numerum, nec caput, nec partem faciunt, sed in totum, pro non exstantibus habentur. *Idem.*

INCENDIUM.

1. Plerùmque incendia culpâ fiunt habitantium. *L.* 3, *ff.* 4, *de off. proef. vigilum.*

2. Ignis est innocentissimus. *L. in judicio, ff. locati.*

3. Incendium non ei tantùm imputatur qui facem intulit, sed et ei qui, prohibere cùm posset, omninò noluit. GROTIUS.

INCOLA.

Cives origo, incolas domicilium facit.

INCONSTANTIA.

Vilia sunt nobis quaecumque prioribus annis.
Vidimus, et sordet quidquid spectavimus olim.
CALPHURNIUS.

INCONTINENTIA.

1. Si solutio simpliciter facta sit, cessio juris debet fieri incontinenter. (Haec sententia intelligitur de subrogationibus.)

2. Quae eodem aut postero die fiunt, propè modum ipsi contractui inesse videntur.
ARGENTRÆUS.

3. Incontinenti factum interpretatur, quod fit cum aliquo moderato spatio. *L.* 1, § *in rem*, *ff. ad leg. aquil.*

INDICIA.

Indicia certa quae jure non respuuntur, non minorem probationis quàm instrumenta continent fidem.

INDIVIDUUM.

1. Si conventum est ne omninò divisio fiat, hujusmodi pactum nullas vires habere manifestissimum est. PAULUS.

2. Multa sunt obligatione individua quae solutione dividuntur. *L. in executione*, *ff. de verb. obl.*

3. Qui cadit à syllabâ, cadit à toto. — Bonum ex integrâ causâ, malum ex minimo defectu.

4. Etsi non omnes qui rem communem habent, sed certi ex his dividere desiderant, hoc judicium inter eos accipi debet. *L.* 8, *ff. de comm. divid.*

INFAMIA.

1. Non ex solâ probatione delicti irrogatur infamia, sed ex sententiâ quae super probatione fertur. ARGENTRÆUS.

2. Infamibus portae non pateant dignitatum.

INFANS.

1. Infans dicitur qui nondùm loquitur. Infans dicitur minor septennio.

CHASSANÆUS.

2. In minore infante non est dolus.

INGRATITUDO.

Ita naturâ comparatum est, ut antiquiora beneficia subvertantur, nisi illa posterioribus cumules; nam si quid neges, id solum meminerit quod negatum est. PLINIUS JUN.

INIQUITAS.

1. Quoties ab iniquitate dispositio separari

potest, ea sumenda est interpretatio quae minùs habeat iniquitatis.

2. Repentini casûs iniquitas per conjecturam paterne pietatis emendanda est.

INJURIA.

1. Inspectâ calumniatoris qualitate, injuriarum gravitate, pondere, et atrocitate aliisque circumstantiis, poena est infligenda.

2. Volenti non fit injuria.

3. Revocatio injuriae, seu palinodia, non excusat injuriantem, quominùs in aestimationem injuriae quoque possit condemnari.

4. Injuriarum actio haeredi non competit. *L.* 10. *ff. si quis.*

5. Si viro injuria facta sit, uxor non agit, quia defendi uxores à viris, non viros ab uxoribus aequum est. PAULUS.

6. Injuriam aestimatio, non ad id tempus quo judicatur, sed ad id quo facta est, referri debet. JAVOLENUS.

7. In omni injustitiâ permultùm interest utrùm perturbatione aliquâ animi quae plerùmque brevis est et ad tempus, aut consulto et cogitato fiat injuria. CICERO.

8. Injuriam hîc damnum accipiemus culpâ datam ab eo, etiam qui nocere noluit. *L.* 5. *ff. ad leg. aquil.*

9. Infeliciores sunt qui faciunt, quàm qui patiuntur injuriam. SENECA.

10. Injuriam et mulctam pupillo debitam gratis remittere tutor non potest, pater potest. FABER.

11. Remissa injuria recoli non potest. *L. non solùm, ff. injur.*

12. Ut beneficium insequenti injuriâ rescinditur, ita injuria insequenti reconciliatione extinguitur. SENECA.

13. Ante omnia, universi advocati ita praebeant patrocinia jurgantibus, ut non ultrà quàm litium poscit utilitas, in licentiam conviciandi et malè dicendi temeritatem prorumpant. Agant quod causa desiderat, temperent se ab injuriâ. Nam si quis adeò procax fuerit, ut non ratione sed probris putet esse certandum, opinionis suae imminutionem patietur; nec enim conniventia commodanda est, ut quisquam negotio derelicto, in adversarii sui contumeliam, aut palàm peragat, aut subdolosè. *L. 1, 6, 8, cod. de postul.*

14. Atrocior est injuria, si in conspectu judicis facta. *L. praetor, § 1, ff. de injur.*

INNOVATIO.

Lite pendente, nil innovetur. Omnia in suo statu esse debent donec res finiatur. MORNACIUS.

INSANUS.

Observandum est quòd ille qui asserit actum

aliquem ab insano et furioso confectum fuisse, debet probare praecisè quòd, eo tempore confecti actûs, is laboraret eo morbo.

MASCARDUS.

INSTITUTA.

Non omnium quae â majoribus nostris instituta sunt ratio reddi potest. *L.* 20, *ff. de legib.*

INSTRUMENTUM.

1. Standum instrumentum donec contrarium probetur.

2. De rebus quae non apparent, ac de his quae non sunt, idem est judicium.

3. Qui dat, vel dari mandat instrumentum, videtur liberationem relinquere.

BARTHOLUS.

INTENTIO.

Non ad solam dilectorum mensuram poena imponenda est, sed et inquirendum quis fuerit ejus qui peccavit animus.

INTERDICTIO.

Nemo rebus suis interdictus existimetur, nisi auditus. ARGENTRÆUS.

INTERPRETATIO.

1. In criminalibus, humanior interpretatio accipienda est.

2. Attendi debet naturalis origo, non id quod ultrà incidit.

3. Minimè sunt mutanda quae interpretationem certam semper habuerunt.

4. Nulla est sapientia stultior quàm quae lege vult sapientior videri. Argentræus.

5. In certis non est conjecturae locus.

6. Forma et essentia rei est potiùs spectanda quàm verborum cortex. *Idem.*

7. Is qui actionem habet ad rem recuperandam, rem ipsam habere videtur. *L.* 15, *ff. de reg. jur.*

8. Verbis standum ubi nulla ambiguitas.

9. Ambiguitas contra stipulatorem est interpretanda, quoniam potuit apertiùs dicere.

10. In contrahenda venditione ambiguum pactum contra venditorem interpretandum est.

11. Ubi repugnantia inter se inveniuntur, neutrum ratum est.

12. Strictè interpretandae non sunt voluntates defunctorum.

13. Facti interpretatio plerùmque prudentissimos fallit. Rebuffus.

14. In fraudis interpretatione non eventus dumtaxat, sed consilium spectatur. *L.* 49, *ff. de reg. jur.*

15. Nemo existimandus est dixisse quod mente non cogitaverit. *L. Labeo, de suppel-lect. leg.*

16. Benigniùs leges interpretandae sunt, quò

voluntas earum conservetur. *L.* 28, *ff. de legibus.*

17. Nulla juris ratio aut aequitatis benignitas patitur, ut quae salubriter pro utilitate hominum introducta sunt, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad severitatem.

18. Beneficium imperatoris, quod à divinâ scilicet indulgentiâ proficiscitur, quâm plenissimè interpretari debemus. *L.* 3, *ff. de constit. principum.*

19. Rescriptum principis in odiosis strictè interpretandum. CUJACIUS.

20. Si in contractu locati opponitur verbum *vendo*, non mutatur natura contractûs.

GOTHOFREDUS.

21. Si quis ambiguâ ratione usus sit, id quod utilius ei est accipiendum. *L. si quis, ff. de judic.*

22. In ambiguâ voce legis, ea potiùs accipienda significatio quae vitio caret, praesertim cùm etiam voluntas legis ex eo colligi possit. *L.* 19, *ff. de legib.*

23. Expressio in dubio censetur facta causâ demonstrationis nisi hoc exprimatur, et clarè de mente appareat. MOLINÆUS.

24. Strictae scripturae licet addere benignam interpretationem ex aliis legibus.

CUJACIUS.

INTERROGATIO.

1. Qui interrogatur, tenetur quasi celebrâsset contractum super quo interrogatus esset.

BARTHOLUS.

2. Si me *viginti* interrogante, tu *decem* respondeas, obligatio in decem tantùm erit contracta.

INVICTUS.

1. Nihil altero invicto alius facere potest quod et ipse facere potest, vel per se, vel per alium.

2. Nemo invitus carere debet re suâ, etiam justo pretio.

3. Invito beneficium non datur.

PAULUS.

INUNDATIO.

Inundatio speciem fundi non mutat, et ob id, cùm recesserit aqua, palàm est ejusdem esse cujus fuit. *L.* 7, § 6, *ff. lib.* 41, *tit.* 1.

IRÆ.

Professio à matre iratâ facta non facit fidem.

JUDEX.

1. Judici delinquenti nullum debetur salarium.

2. Faciliùs judex quàm testis rejicitur.

3. Sententia debet esse libello conformis, et potestas judicis ultra id quod in judicium deductum est nequaquàm potest excedere. *L. ff. de comm. divid.*

4. Non sufficit ut judex sciat, sed necesse est ut ordine juris cognoscat.

5. Plura ad judicis cognitionem remittenda sunt. 135, § 2 *inf.*, *de verb. oblig.*

6. Si judex succedat uni ex legatoribus in aliquo, desinit esse judex. Bartholus.

7. In judiciis non est judex diutiùs expectandus, sed alius loco ejus sumendus.

8. Qui non cogitur in aliquo loco judicium pati, si ipse ibi agat, cogitur excipere actiones, et ad eumdem judicem mitti.

Paulus.

9. Judex, posteaquàm semel sententiam dixit, judex esse desinit; semel enim, seu benè, seu malè, officio functus est.

Ulpianus.

10. (Audi legem humanissimam:) Perspiciendum est judicanti ne quid aut durius, aut remissius constituatur quàm causa deposcit. Nec enim aut severitatis, aut clementiae gloria est

affectanda; sed perpenso judicio, prout quaeque res expostulat, statuendum est. Planè in levioribus causis proniores ad lenitatem judices esse debent; in gravioribus poenis, severitatem legum cum aliquo temperamento benignitatis subsequi. MARCIANUS.

11. Hoc judicante vinces, illo alio excides. ARGENTRÆUS.

12. Nullum velle sortiri judicem, magnum est in reo diffidentiae, in actore calumniae argumentum. BELORDÆUS.

13. Non est singulis permittendum quod per judicem fieri debet. ARGENTRÆUS.

14. Non sibi concessum intelligant judices dandae dilationis arbitrium. *L.* 1, *cod. de dilat.*

15. Non est constantis et recti judicis animi motum detegere. *L. observandum*, 19, *de off. praesidis.*

16. Privatorum consensus judicem non facit.

17. Facti quaestio est in potestate judicantis, juris auctoritas et potestas non item.

18. Idem requiritur numerus judicum judicandis interlocutionibus, qui requiritur in judicandâ definitivâ. GRIMAUDET.

JUDICATUM.

1. Res judicata pro veritate habetur.

2. Confessus pro judicato habetur.

3. Publicè interest non convelli rerum judicatarum auctoritatem.

4. Res inter alios acta vel judicata alteri nec prodest, nec nocet.

5. Evidentur iniquissimum est proficere rei judicatae exceptionem ei contra quem judicatum est.
JULIANUS.

6. De eâdem re non decet saepiùs quaeri nec judicari. ARGENTRÆUS.

7. Judicatum titulus est optimus. *Idem.*

8. Quoties inter easdem personas exceptio rei judicatae obstat, eadem quaestio revocatur; cùm quaeritur haec exceptio noceat, necne, inspiciendum est an idem sit corpus, quantitas eadem, idem jus, et an eadem causa petendi et eadem conditio personarum; quae nisi omnia concurrant, alia res est. *L.* 7, 12, 13 *et* 14, *ff. de except. rei judicatae.*

JUDICIUM.

1. In judicio quasi contrahitur.
PAULUS.

2. De unoquoque judicio, judicandum est praesentibus aut vocatis quorum interest. Nùmquid enim quemquam lex judicat, nisi priùs audierit eum? ARGENTRÆUS.

3. Idem requiritur numerus judicum judicandis interlocutionibus, qui requiritur in judicandâ definitivâ. GRIMAUDET.

4. Amplior pars obtineat ita ut quod pluribus placet, hoc statuatur. *L. ult. cod.*

JURISDICTIO.

Mandatâ jurisdictione, ea omnia mandata intelliguntur sine quibus jurisdictio exerceri non potest.

JUS, JURA.

1. Modica circumstantia facti jus variat.
MOLINÆUS.

2. Denegari non debet jus justè deprecantibus.

3. Jus publicum privatorum pactis mutari non potest.

4. Jus civile vigilantibus scriptum est, non dormientibus; aliàs, jura vigilantibus subveniunt.

5. Unicuique licet favori et juri pro se introducto renuntiare.

6. Jus publicum est cui nemo praescribere potest, non spatia temporum, non patrocinia personarum.

7. Jus exsequendi non mutatur nec admittitur ex parte creditoris; quo mortuo, haeredes vocantur ut instrumentum declaretur executorium. PANORM. ET ALII.

8. Ubi non est jus ad agendum, ibi proponi non debet jusjurandum.

Attamen jusjurandum proponitur inopiâ probationis.

9. Ubi eadem ratio, ibi idem jus.

10. Jura metimur à possessore.

11. Nemo plus juris in alium transferre potest quàm ipse habet.

12. Ex facto jus oritur.

13. Correlativorum par est ratio.

14. Non debet una eademque res diverso jure censeri.

15. Civilis ratio civilia quidem jura corrumpere potest, naturalia verò non utiquè. *Instit. de legit. agn. tutelâ, lib.* 3.

16. Nullus videtur dolum facere, qui suo jure utitur.

17. Non est audiendus certans de jure tertii.

18. Quidquid in alicujus favorem conceditur, in ejus dispendium non est retorquendum.

19. In rebus novis constituendis, evidens utilitas esse debet, ut recedatur ab eo jure quod diù aequum visum est.

20. Non debet alterius collusione aut inertiâ, alterius jus corrumpi. Alteri per alterum non debet iniqua conditio inferri.

21 Non debeo melioris conditionis esse quàm auctor meus, à quo jus in me transit. Nemo plus commodi haeredi suo relinquit quàm ipse habuit.

22. Jura subveniunt mulieribus deceptis, non decipientibus.

23. Cui jus est donandi, eidem et vendendi et concedendi jus est. *L. cui jus*, 124, *ff. de reg. jur.*

24. In omnibus partibus juris, is, qui reversus non est ab hostibus, quasi tunc decessisse videtur, cùm captus est.

25. Casus omissus remanet in dispositione juris communis.

26. Ex is quae fortè uno aliquo casu accidere possunt, jura non constituuntur.

CELSUS.

27. Quod contra rationem juris receptum est, non est producendum ad consequentias.

PAULUS.

28. Meum est quod ex re meâ superest, cujus vindicandi jus habeo. *L.* 49, *ff. de rei vindic.*

29. Resoluto jure dantis, resolvitur jus accipientis.

30. Error in jure, non eodem loco quo facti, ignorantia haberi debebit. *L.* 2, *ff. de jur. et fact. ignor.*

31. Turpe est patricio et causas oranti, jus in quo versatur ignorare. *L.* 2, *de orig. jur.*

32. Melius est intacta jura servari, quàm post causam vulneratam remedium quaerere.

JUSTINIANUS.

JUSJURANDUM.

1. Diversitas negotiorum diversum exigit jusjurandum.

2. Ubi non est jus ad agendum, ibi proponi non debet jusjurandum.

Attamen jusjurandum proponitur inopiâ probationis.

3. Jusjurandum speciem transactionis continet, majoremque habet auctoritatem quàm res judicata; interposito (jurejurando) ab omni controversiâ disceditur.

4. Manifestae turpitudinis est nolle jurare, nec jusjurandum referre.

5. Qui non potest alienare, nec juramentum deferre potest. ALEXANDER.

6. Juramentum unius ex reis debendi alteri prodest. *Idem.*

7. Per juramentum non tollitur exceptio quae non est contraria juramento. *Idem.*

8. Pupillus, procurator et defensor, jurare non coguntur. *Idem.*

9. Vere est sententia, juramentum domino delatum non posse per procuratorem praestari, etiamsi speciale mandatum habeat.

ARGENTRÆUS.

10. Maximum remedium finiendarum litium jusjurandum.

11. Qui juramentum à malo viro postulat, insanit.

12. Plurimùm valet ad metum delinquendi praesentiâ religionis urgeri. SYMMACHUS.

JUSTITIA.

Mandatâ jurisdictione, ea omnia mandata

intelliguntur sine quibus jurisdictio exerceri non potest.

LAUS.

Non oportet, laudando, augere malitiam.

LEGATUM.

1. Falsa causa non vitiat legatum.

2. Etiam ea quae futura sunt, legari possunt.

3. Novissima scriptura in legatis spectanda.

4. Usûs pars legari non potest; nam frui quidem pro parte possumus, uti pro parte non item. PAULUS.

5. Si Titio, et ei qui capere non potest decem legata sint, quía duobus haeres dare damnatur, et unus capere non potest, quinque sola Titio dari debent. *Idem.*

6. Legata semel praestanda, debita mobilia sunt haeredis, diuturni et continuati temporis, immobilia. ARGENTRÆUS.

7. Si quis in nomine vel cognomino legatarii testator erraverit, si de personâ constat, nihilominùs valet et legatum. § *si quis, instit. de legat.*

8. Cùm fundus communi legatus sit, non adjectâ portione, sed *meum* nominaverit, portionem deberi constat. *L.* 5, § 2, *ff. de legat.*

9. Defectus conditionis per factum implere debentis, cum impedit ne legatum consequatur. *L.* 3, *cod. de condit. insert.*

10. Id quod pauperibus testamento vel codicillis relinquitur, non ut incertis personis relictum evanescat, sed omnibus modis firmum ratumque consistat. *L.* 24, *cod. de epist. et cler.*

11. Legatis alimentis, cibaria et vestitus et habitatio debentur, quia sine his ali corpus non potest. *L.* 6, *ff. de alim.*

12. Si duobus conjunctìm res legata sit, quamvis alter in rerum naturâ non fuerit, alteri solam partem deberi puto verum esse. *L.* 16, *ff. de legatis.*

13. Modus respiciens utilitatem legatarii intelligitur impulsivus; si utilitatem tertii, dicitur esse finalis. BARTHOLUS.

LEX.

1. Provisio hominis facit cessare dispositionem legis.

2. Posteriora prioribus derogant.

3. Moribus Gallicis et usu fori etiam possessio sola legibus obligat.

4. Ubique lex judicem revereri jussit.

5. Omne verbum (in legibus ut et in contractibus) sic accipi debet, ut stet cum aliquo effectu operativo secundùm materiam subjectam. MOLINÆUS.

6. Ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.

7. Ejus est legem interpretari, cujus est condere. *L.* 1, 9, *ult.* § 1, *cod. de leg.*

8. Odia restringenda, favores ampliandi.

9. Inclusio unius est exclusio alterius.

10. Non est excusatio adversùs praecepta legum ei qui, dùm leges invocat, contra eas committit. *L.* 33, *ff. de minorib.*

11. Lex dat formam futuris, non praeteritis negotiis.

12. Nulla via admittenda est, quâ, salvis verbis legis, mens ejus circumvenitur.

13. Nulla est sapientia stultior, quàm quae lege vult sapientior videri. ARGENTRÆUS.

14. Defectu legis aut pacti conventi, recurrendum est ad usum loci in quo res peragitur.

15. Beneficium legis non debet esse captiosum

16. Exclusa censentur omnia quae lex enumerando non inclusit.

17. In dispositione consuetudinariâ (et hoc de legibus etiam dici debet) nihil est subaudiendum, nec aliud sensisse consuetudo (aut lex) intelligi debet, quàm quod verbis expressit. *Idem.*

18. Quod fit lege prohibente, nullam vim habere indubitati juris est.

19. Oportet rectè positas leges omnia terminare; et quàm paucissima committere judicantibus. STRACCHA.

20. Non omne quod licet honestum est. Attamen ubi non est lex, nec praevaricatio. PAULUS AD ROM.

21. Novae constitutionis effectus revocari debet ad praeterita, si tantummodò declaret quod

anteà leges caverant. Declaratio autem nihil novum vel dat, vel statuit. MORNACIUS.

(Haec regula est generalioris regulae exceptio. Vult regula generalis nullam legem retroactivum effectum habere debere).

22. Cùm lex loquitur generaliter est intelligenda.

23. In materiâ à jure civili exorbitante, non est facienda extensio ex paritate, ac ne ex majoritate quidem rationis, sed in suis terminis servari debet lex. ARGENTRÆUS.

24. Cùm lex in praeteritum quid indulget, in futurum vetat.

25. Incivile est nisi totâ lege perspectâ, unâ aliquâ particulâ ejus propositâ, judicare vel respondere.

26. Non dubium est in leges committere eum, qui verba regis amplexus, contra legis nititur voluntatem. Nec poenas insertas evitabit qui se, contra juris sententiam, saevâ praerogativâ verborum, fraudulenter excusat. *L.* 3, *cod. de leg.*

27. Nullum pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos videri volunt subsecutum, qui contrahunt lege contrahere prohibente. *L.* 5, *cod. de leg.*

28. In re dubiâ, melius est verbis edictis legis servire.

29. Dura lex, sed servanda.

30. Cui non conveniunt verba legis, nec ejus dispositio convenit.

31. Lex supplet judicium patris.

GOTHOFREDUS.

32. Cessante ratione legis, cessat ipsa lex; sublatâ enim causâ cessat effectus.

33. Quod fit per legem, fieri potest per pactum.

BARTHOLUS.

34. Valet consuetudo cui lex non adversatur.

ACCURSUS.

35. Ubi lex inhibet usucapionem, bona fides possidenti nihil prodest. POMPONIUS.

36. Legis virtus haec est imperare utilia reipublicae, vetare nociva. *L. 7, ff. de leg.*

37. Scire leges non est verba earum tenere, sed vim ac mentem. *L. 17.*

38. Leges legibus concordare promptum est.

CONSTANTINUS.

39. Statuta tantùm disponunt quantùm loquuntur. CHALINE.

40. Ex veteribus hoc praeceptum rectè elicuimus, non esse permissum judicantibus se conditis legibus censuram.

ARGENTRÆUS.

41. Ubi non invenitur conventio, lex quaerenda est. *Idem.*

42. Nemo censetur ignorare legem.

43. Flagitium est legi adjicere aut exigere quod illa non exigit. BALOUR.

44. Lex non omittit incauta, sed quia dictum noluit.

45. Peccatum non cognovi nisi per legem.
PAULUS AD ROM.

46. Leges debent usibus humanis accomodari.

47. Quamvis lex nova pendeat de futuro, trahitur tamen ad praeterita, si de praeterito locum hábeat. *L. de usuris cod.*

48. Omnes convenit obedire legibus, quia inventum et munus Dei est. *L.* 2. *ff. de leg.*

49. Multò satiùs est non solvere quàm solutum repetere.

50. Benigniùs leges interpretandae sunt quo voluntas earum conservetur. *L.* 28, *ff. de legibus.*

51. Statuta suo clauduntur territorio, nec ultra territorium disponunt.
PAULUS DE CAST.

52. Quotiescumque de capacitate aut habilitate personarum quaeritur, domicilii leges et statuta spectantur. BARTHOLUS.

LIBELLUS.

Libellum emendare licet usque ad sententiam.

LIBER RATIONUM.

Illud quidem verum est, librum rationum pro scribente non probare, sed benè contra scribentem. RANCHIUS.

LIBERALITAS.

1. Nemo in necessitatibus praesumitur liberalis.

2. Quilibet potest quam voluerit legem liberalitati suaé imponere.

LIBERATIO.

1. Proniores sumus ad liberandum quàm ad obligandum. *L.* 47, *ff. de oblig. et act.*

2. Qui dat, vel dari mandat instrumentum, videtur liberationem relinquere.

BARTHOLUS.

3. Cùm jussu meo, id quod mihi debes, solvis creditori meo, et tu à me et ego à creditore meo liberor. PAULUS.

LIBERI.

1. Nostrâ interest animum liberorum non corrumpi.

2. Appellatione liberorum nepotes etiam continentur. *L.* 220, *ff. de verb. sign.*

3. Judicatum titulus est optimus.

ARGENTRÆUS.

LIBERTAS.

1. Promissio facta in carcere nulli est momenti. BARTHOLUS.

2. Conditio de nubendo alterius arbitrio rejicitur, ideòque non nocet, si ille qui debet arbitrari, antè moriatur. *Idem.*

3. Solutum non intelligimus eum qui, licet vinculis levatus sit, manibus tamen teneretur; ac nec eum quidem intelligimus solutum, qui in publico sine vinculis servatur.

4. Quemadmodùm libertas et civitas non datur ad tempus, ita nec adimitur.

CUJACIUS.

LICITUM.

1. Quod non est licitum in lege, necessitas licitum facit.

2. Non debet uni licere, quod alteri non permittitur.

LIMITATIO.

Limitata causa limitatum habet effectum.

LITES.

1. Omnis litigator victus debet impensas. *Ex leg.* 5, *cod. de fruct. et lit. imp.*

2. Nullum cum litigatore contractum, quem in propriam receperit fidem, ineat advocatus, nullam conferat pactionem.

3. Lite pendente, nil innovetur. Omnia in suo statu esse debent, donec res finiatur.

MORNACIUS.

4. Nulla lis esse potest cum eo quem in potestate habemus. PELEUS.

5. Juri conveniens est litigatorem ad judicem deduci, non judicem ad litigatorem.

LOCATIO.

1. Quoties faciendum aliquid datur, locatio est.

2. Locare servitutem nemo potest. Fundo enim servit fundus, non personae.

3. Operae promissae duobus, illae sunt priùs praestandae cui priùs sunt promissae.
PAULUS DE CASTRO.

4. Non solet locatio dominium mutare.
ULPIANUS.

5. Praetextu minoris pensionis locatione factâ, si nullus dolus adversarii probari possit, rescindi locatio non potest. *L.* 23, *ff. de locat.*

6. Ex conducto ad haeredem actionem transmitti palàm est. *L.* 19, *ff.* § 8, *de locat.*

7. Nemo prohibetur rem quam conduxit fruendam alii locare, si nihil aliud convenerit. *L.* 6, *cod. de locat.*

8. Qui impleto tempore conditionis remansit in conductione, reconduxisse videtur. *L.* 13, § 11, *ff. locat.*

9. Qui ex conducto possidet, quamvis corporaliter teneat, non tamen sibi, sed domino rei creditur possidere. *L.* 9, *ff. de acq. vel amitt. poss.*

10. Damnum quod per aggressuram latronum in possessionibus *locatis* rei tuae illatam esse proponis, à domino earumdem possessionum resarciri nullâ ratione desideras. *L. damnum, cod. de locato.*

11. Dignus est operarius mercede suâ.

12. Peracto locationis tempore, non tenetur fidejussor, nec alterius pignus.

Accursus.

LOCUS.

Locus regit actum.

LUCRUM.

1. Turpia lucra sunt ab haeredibus extorquenda, licet crimina extinguantur. *L. 5, ff. de calum.*

2. Honestum lucrum illud est per quod nemo laeditur. Cassiodorus.

3. Neque enim ferendus est is qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ei annexum contemnit. *L. unicâ, § 4, cod. de caduç. toll.*

LUSUS.

1. Lusus quoque noxius in culpâ est.

Paulus.

2. Inhibemus ut nullus ad taxillos ludat sive ad aleas, et schacos. *Ord. s. Lud.* 1254.

LUX.

Qui malè agit odit lucem.

MAGISTRATUS.

1. Magistratus foenus exercere prohibentur, ut turpe et indignum. ARGENTRÆUS.

2. Omninò tamen de re litigiosâ contrahere prohibentur. *Idem.*

MALEFACTOR.

Qui malè agit odit lucem.

MALITIA.

1. Sparsit Deus infinitas caecitates super infinitas malitias. *Lib. Sap.*

2. Non est indulgendum malitiis hominum.

3. Si quem malitia propter se ipsam delectet, is ultra modum humanum processit.

MALUS.

1. In criminibus, aetatis suffragio minores non juvantur. Etenim malorum mores animi infirmitas non excusat. *L.* 1, *ff. si adv.*, *et L. impuberem* 23, *ff. de furtis.*

2. Nemo gratis malus praesumitur.

3. Semel malus, semper praesumitur malus in eodem genere mali.

4. Cujus effectus malus est, ejus quoque voluntas malè praesumitur. MASCARDUS.

5. Mali timent videri, ut magis sint mali.

6. Quidquid à malo surgit, in malum deniquè recidit.

MANDATUM.

1. Voluntatis est suscipere mandatum, necessitatis consummare.

2. Diligenter fines mandati custodiendi sunt; nam qui excedit, aliud quid facere videtur.

3. Ratihabitio mandato comparatur.

4. Mandatam sibi jurisdictionem mandare, alteri non posse manifestissimum est. *L. ult., ff. de off. ejus cui, etc.*

5. Mandatum agendi non extenditur ad transigendum.

6. Is qui dedit diversis temporibus procuratores duos, posteriorem dando, priorem prohibuisse videtur. JULIANUS.

7. Causa mandatis melior interdùm fieri potest, deterior verò nunquàm.

8. Mandatum nisi gratuitum nullum est. Secùs in commercio.

9. Procurator datus ad agendum, intelligitur ad litem perficiendam. BARTHOLUS.

10. Revocatio mandati non praejudicat procuratori, nisi ad ejus notitiam pervenerit.
Idem.

11. Mandatarius non debet sentire lucrum nec damnum. *Idem.*

12. Sicut morte mandantis finitur mandatum, ita et morte mandatarii. *Idem.*

13. Revocatio mandati non nocet debitori solventi, in cujus notitiam non pervenit.
Idem.

14. Qui mandat solvi, ipse videtur solvere.
PAULUS.

15. Quicumque alieno nomine agit, de mandato docere debet. ARGENTRÆUS.

16. Ratio suadet scripto probari debere mandatum, non per testes; nec aliter in judicialibus usus admitti. *Idem.*

17. Falsus procurator non est procurator, sicuti solemus dicere falsum denarium non esse denarium. *Idem.*

18. Vera est sententia, juramentum domino delatum non posse per procuratorem praestari, etiamsi speciale mandatum habeat.
Idem.

19. Vulgata est juris sententia, mandato quamlibet generali id nunquàm mandatum videri, ex quo dominus in poenam incidere possit. ARGENTRÆUS.

20. Obligatio mandati consensu contrahentium consistit. *L.* 1. *ff. mandati.*

21. A procuratore dolum et omnem culpam praestandum esse juris auctoritate manifestè declaratur. *L.* 13, *cod. mandati.*

22. Ut tutela sic procuratio reipublicae ad utilitatem eorum apud quos commissi sunt, non ad eorum quibus commissa est, gerenda. *Cic. de officiis.*

MANUS INJECTIO.

Manûs injectio rei persecutionem non continet; sed actiones adjungi solent.

BOERIUS.

MARE, LITTUS.

Nemo ad littus maris accedere prohibetur, cùm mare sit res naturali jure communis.

MARITUS.

1. Maritus solus coertionem morum in uxorem habet; solus est vindex tori sui.

2. Auctoritas quae debet interponi à marito, debet formaliter inscribi in contractu per verbum *auctoriso*. CHASSANÆUS.

3. Protinùs à matrimonio, et statim quàm maritus esse et dici potuit, fructus ei tribuuntur.

ARGENTRÆUS.

4. Nupta est in potestate mariti, non patris.

ARGENTRÆUS.

5. Marito non licet onerare propria uxoris.
MOLINÆUS.

6. Mariti cogendi non sunt aditionibus haereditatum, caeco se periculo implicare, aut quidquam facere contra voluntatem.
ARGENTRÆUS.

MATER.

Nullus affectus qui vincat maternum.

MATRIMONIUM.

Tanta vis est matrimonii, ut qui anteà sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur.

MEDIUM.

Quò quid magis ad medium accedit, eò est melius; et quò magis recedit, eò est pejus.

MENSURA.

Cùm fundus venditur ad mensuram, si plus fuerit inventum quàm fuerit dictum, pro toto debetur pretium. BALDUS.

METUS.

1. In alterius praemium verti alienum metum non oportet.

2. Nihil consensui tàm contrarium quàm vis ac metus. *L.* 116, *de reg. jur.*

MEUM.

Meum est quod ex rę meâ superest, cujus vindicandi jus habeo. *L.* 49, *ff. de rei vindic.*

MILES.

Militi relinquenda sunt arma, et scholaribus libri.

MINIMUM.

1. Parùm pro nihilo censetur. — De minimis non curat praetor.
2. Si diversis summis condemnent judices, minimam spectandam esse Julianus scribit.
3. Ubiquè in jure, modicitas causae juris regulas relaxat. ARGENTRÆUS.
4. Modicitas summae perjurii praesumptionem eluit. *Idem.*

MINOR.

1. In minore non mutatur causa possessionis.
2. Minor non laeditur, qui jure communi utitur.
3. In criminibus, aetatis suffragio minores non juvantur. Etenim malorum mores animi infirmitas non excusat. *L.* 1, *ff. si adv.*, *et L. impuberem*, 23, *ff. de furtis.*

4. Etiam ubi intervenit patris auctoritas, minor restituitur. BARTHOLUS.

5. Inter duos minores melior est conditio conventi, si uterque certat; secùs, de damno vitando, si alter certet de lucro. *Idem.*

6. Minores restituuntur, cùm laeduntur; aliàs non. *Idem.*

7. Generaliter, quotiescumque non fit nomine pupilli id quod quivis pater-familias idoneus facit, non videtur defendi.

ULPIANUS.

8. Tutoris officium praecipuum est, ne indefensum pupillum relinquat.

MARCELLUS.

9. Minor, non tanquàm minor, sed tanquàm laesus restituendus est.

10. Minor nullâ de causâ donare potest, ne matrimonii quidem. ARGENTRÆUS.

11. Prudenter decrevit antiquitas, minores contractus liberos non habere. CASSIODORUS.

12. Si pecuniam quam mutuam minor accepit dissipavit, denegare debet proconsul creditori adversùs eum actionem. *L.* 3, § 59, *ff. de in rem verso.*

MOBILE.

1. Actio ad mobile consequendum, mobilis est; ad immobile, immobilis.

2. Mobilia legibus domicilii judicantur.

ARGENTRÆUS.

3. Pecunia, quamvis redacta ex re immobili, est mobilis. *Idem.*

4. Statuae affixae basibus non sunt aedium; ornatus enim aedium causâ parantur, non quibus aedes perficiantur. *L.* 245, *de verb sign.*

MODICITAS, MODICUM.

1. Non debet totum partagium conturbari sub praetextu modicae inaequalitatis. *Idem.*

2. In modico tempore non est magnum praejudicium. ACCURTIUS.

MOLENDINUM.

Molendino dato, simul solum cui cohaeret datum videtur, quia ejus, sine solo, nullus est usus. CORVINUS.

MORA.

1. In omnibus causis pro facto accipitur, id in quo per alium more fit, quominùs fiat.

2. Mora fieri intelligitur, non ex re, sed ex personâ, id est, si, interpellatus loco opportuno, non solverit.

3. Nulla mora, ubi nulla petitio.

4. Non est in morâ qui potest exceptione legitimâ se tueri. BARTHOLUS.

5. Fur semper est in morâ, ideòque ad eum semper spectat periculum interitûs. *Idem.*

6. Propter moram debitoris quanti plurimi

res valuit, condemnatur. *L.* 2, *ff. si cert. pet.*

7. Mora sua cuilibet est nociva.

MOLINÆUS.

MORS. MORTUUS.

1. Si mors est fundamentum agentis, actos debet eam probare.

2. In omnibus partibus juris, is qui reversus non est ab hostibus, quasi tunc decessisse videtur, cùm captus est.

3. Sententia lata contra mortuum est ipso jure nulla. BARTHOLUS.

4. Qui mortui nascuntur, neque nati neque procreati videntur, qui nunquàm liberi appellari potuerunt. PAULUS.

5. Vivos castigare decet, non mortuos. Malum est viris defunctis conviciari. Temerarium est umbram hominis mortui affligere.

6. Morte extincto crimine, nulla quaestio superest. *L. defunctis, c. si rem, vel L.* 20, *de accus.*

MOS.

Ea quae sunt moris, pro expressis habenda sunt.

MULIER.

1. Mulier familiae suae et caput et finis est.

2. Jura subveniunt mulieribus deceptis, non decipientibus.

3. Mulier de bonis viri est alenda.

ARGENTRÆUS.

4. Numquàm hae duae res, navis et mulier, satis ornantur, neque eis ulla satis ornandi satietas est. *Idem.*

5. Non omnis acquisitio communicatur inter virum et uxorem, solùm ea quae fit constante matrimonio, et quae non pendet à jure alterutri eorum ante matrimonium quaesito.

MOLINÆUS.

6. Mulier brevi tempore reversa ad maritum, non videtur à marito divertisse.

7. Delinquentibus mulieribus non subvenitur. *L.* 27, § 1, *ff. de min.*

8. Mulieres fovemus, non pro lucro, sed ne damnum patiantur, neve suis rebus defraudentur curamus. JUSTINIANUS.

MUTATIO.

1. Mutatione personae mutatur conditio rei.

2. Mutata forma propè interimit substantiam rei.

3. Facilè mutari non debet quod per longa saecula custoditur. ATHALARICUS.

MUTUUM.

In mutui datione oportet dominum esse dantem.

NATURA.

1 Nunquàm aliud natura, aliud sapientia poscit.

2. Natura communis est. *L.* 12, § 4, *ff. de accusat.*

NAVIS.

1. Omnes quorum interest navem salvam esse contribuere debent.

2. Proprietas totius navis carinae causam sequitur. *L.* 6, *ff. de rei vindic.*

3. Magistrum navis accipere debemus, cui totius navis cura mandata est.

4. Nunquàm hae duae res, navis et mulier, satis ornantur, neque eis ulla satis ornandi satiëtas est. ARGENTRÆUS.

NECESSITAS.

1. Quae propter necessitatem recepta sunt, non debent in argumentum trahi. PAULUS.

2. Nemo in necessitatibus praesumitur liberalis.

NEGATIO.

Quod gratis asseritur, gratis negari potest.

NEGLIGENTIA.

1. Tempus negligentiae auctoris conjungitur cum negligentiâ successoris. BARTHOLUS.

2. Negligentiae ad negligentiam admittitur compensatio. ACCURSUS.

3. Magna negligentia culpa est; magna culpa, dolus. PAULUS.

4. Nihil facilius quàm negligentiam adumbrare praetextu ignorantiae. ARGENTRÆUS.

NEGOTIORUM GESTOR.

1. Negotium gerentes alienum, non interveniente speciali pacto, casum fortuitum praestare non compelluntur. *L.* 22. *cod. de neg. gestis.*

2. Gestor tenetur totum reddere quod ad se pervenit.

3. Sufficit negotium utiliter esse gestum respectu domini, licet effectum utilem non habuerit.

4. Negotiorum gestor tenetur domino restituere quod ejus nomine exegit, etiamsi sit indebitum; sed si indebitum solvit, à domino non recuperat. PAULUS.

5. Negotiorum gestor de latâ et levi tenetur, non de levissimâ. ARGENTRÆUS.

6 Quod is non rectè gessit, tu mihi actio-

ne negotiorum gestorum teneris, non in hoc tantùm ut actiones tuas praestes, sed etiam quòd imprudenter eum elegeris: ut quidquid detrimenti negligentiâ ejus fecit, tu mihi praestes. *L.* 21, § *ult.*, *de negot. gest.*

NEPOTES.

1. Appellatione liberorum etiam nepotes continentur. *L.* 220, *ff. de verb. sign.*

2. Hanc legem perpetuò tene, quae dicit quòd, sublato filio de medio, nepos succedit loco filii. BARTHOLUS.

NOBILITAS.

Equi et canis nobilitas est ut boni sint generis; hominis verò, ut animum habeat omni genere virtutum exornatum.

NOMEN.

1. Falsi nominis vel cognominis adseveratio poenâ falsi coercetur; sed nominis mutatio, sine fraude, non est illicita.

2. Nomina ex ambitione aut injuriâ nata. SENECA.

NOTARIUS.

1. Notarius est judex chartularius habens jurisdictionem inter volentes. LE PRÊTRE.

2. Notarius de dolo et imperitiâ tenetur.
ARGENTRÆUS.

3. Notarii ad scribendos contractus constituti, non possunt scribere forensia.
GRIMAUDET.

NOTITIA.

Notitiam intelligimus de verâ, certâ, legitimâ et idoneâ notitiâ. ROTE DE GÊNES.

NOVATIO.

1. Non aliter fit novatio, quàm si novare se disertè contrahentes expresserint, alioquin manet pristina obligatio.

2. Voluntate solùm, non lege esse novandum. *L. ult, cod. de nov.*

3. Cui rectè solvitur, is etiam novare potest. *L. 10, ff. de nov.*

NOVUM.

Quae emergunt de novo, novo indigent auxilio.

NOXA.

Favorabiliores rei quàm actores habentur.

NULLITAS.

1. Quod nullum est, nullum parit effectum.

2. Quod nullum est, rescisione non eget.

3. Quod nullum est in uno, nullum est in omnibus.

4. Quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere. *Regula Catoniana.*

5. Nullitas respectu certae personae, eâ tacente, conquiescit. ARGENTRÆUS.

6. Nullitas ex causâ publicâ titulum non tribuit. *Idem.*

7. Illud singulariter notandum (in regulam 4 hujus capitis), quòd res quae ab initio vitiosa fuit, tractu temporis robur sumat, si impedimentum cesset, et nova causa superveniat quae actum confirmet. BRONKOERTS.

8. Si confirmabile sit nullum, pariter vel supremi principis confirmatio nulla est. MOLINÆUS.

NUPTIÆ.

1. Cùm legitimae nuptiae factae sunt, patrem liberi sequuntur. *L.* 19, *ff. de statu hom.*

2. Furor nuptias impedit, factas verò non infirmat.

3. Nuptias, non concubitus, sed consensus facit.

4. Habilis ad nuptias, habilis videtur ad

pacta omnia et renuntiationes quae apponi in talibus solent. Molinæus.

5. Conditio de nubendo alterius arbitrio rejicitur, ideòque non nocet, si ille qui arbitrari debet, antè moriatur. Bartholus.

6. Nupta est in potestate mariti, non patris.

7. Uxorum contractus sibi utiles non irritantur. Argentræus.

8. Lex naturae haec est, ut qui nascitur sine legitimo matrimonio matrem sequatur. *L.* 24, *de statu hominum.*

9. Tanta vis est matrimonii, ut qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur.

10. Libera debent esse matrimonia. *L. Titia, ff. de verb. oblig.*

11. Vinculum matrimonii indissolubile est; atque ideò solâ morte unius è conjugibus potest dissolvi. Juscum.

12. Non omnis mulier, viro juncta, uxor est viri; neque omnis filius haeres est patris; itaque aliud est uxor, aliud concubina, sicut aliud ancilla, aliud libera.

Carolus Magnus.

OBEDIENTIA.

Vilia sunt nobis quaecumque prioribus annis
Vidimus, et sordet quidquid spectavimus olim. Calphurnius.

OBLATIO.

Si quid oblatum sit, eo modo agnoscendum aut rejiciendum quo oblatum est. *L. cùm quaeritur, ff. de admitt. tut.*

OBLIGATIO.

1. Contrariis modis tolluntur obligationes quibus colligatae sunt.

2. Certissimum est ex alterius contractu neminem obligari. *L.* 3, *inf. cod. ne ux. pro marit.*

3. Obligari ex omni contractu pupillus sine tutoris auctoritate non potest, acquirere autem sibi stipulando, etiam sine tutoris auctoritate potest. *L.* 9, *obligari, ff. de auct. et cons. tut.*

4. Naturalis obligatio impedit repetitionem soluti. BARTHOLUS.

5. In his quae epistolam geri possunt, per eam inducitur obligatio. *Idem.*

6. Obligatio personalis non sequitur fundi possessorem. *Idem.*

7. Si dies certa in obligatione sit apposita, semper dies interpellat pro homine. ARGENTRÆUS.

8. Obligationis mentio in statuto facta, de

civili intelligenda est; naturalium enim nullum esse effectum in statutis constat.

ARGENTRÆUS.

9. Nulla est prohibente lege naturalis obligatio, cujus origo toties impeditur quoties lex aut statutum aufert potentiam ab agente prohibitivâ dispositione, vel cùm procedit annullando, vel cùm utitur verbis impotentiae.

Idem.

10. In obligationibus faciendi, post moram succedit obligatio, in id quod interest. *L. si quis, ff. de re judic.*

11. Qui alios pro debitore obligat, hoc maximè prospicit, ut cùm facultatibus lapsus fuerit debitor, creditor possit ab iis quos pro eo obligavit, debitum consequi. *Instit. § ult.*

12. Consensu fiunt obligationes in emptionibus, venditionibus, locationibus, societatibus, mandatis. *L. 2, ff. de obl. et act.*

13. Cùm nulla subest causa praeter conventionem, constat non posse constitui obligationem.

14. Multa sunt obligatione individua, quae solutione dividuntur. *L. in executione, ff. de verb. obl.*

15. Non idcircò obligationem cessare, quòd et dies et consules additi non sint. *L. 34, § 1. ff. de pign.*

16. Tot sunt obligationes quot summae.

17. Multùm interest utrùm aliquis obligetur, an aliquis liberetur. Ubi de obligando agitur, propensiores sumus ad negandum, si habeamus occasionem; ubi de liberando ex diverso, faciliores sumus ad liberandum. *L.* 47, *ff. de verb. oblig.*

18. Nihil prohibet ex pluribus causis eamdem obligationem coalescere, quarum unâ deficiente altera salva maneat. Quamdiù autem aliqua vel minima causa subest, tamdiù sustinetur obligatio; semper enim interpretatio fieri debet potiùs ut actus valeat, quàm ut intercidat.

OBSCURITAS.

1. Obscurè respondere et nihil respondere paria sunt. *L.* 7, § 7, *de interrog.*

2. Aliud est obscuritas, aliud ambiguitas: ambiguum quidem semper obscurum est, non autem omne obscurum est ambiguum.

OBSIGNATIO.

1. Obsignatio debiti solemniter fieri intelligitur, quae fit opportuno tempore et loco.
GOTHOFREDUS.

2. Obsignatione totius debitae pecuniae solemniter factâ, liberationem contingere manifestum est. *L.* 9, *cod. de salut.*

OCCIDERE.

Nihil interest occidat quis, an causam mortis praebeat. ULPIANUS.

ODIUM.

1. Odia restringenda, favores ampliandi.
2. Quod odio fit, fraude carere nequit. ARGENTRÆUS.
3. Rescriptum principis in odiosis strictè interpretandum. CUJACIUS.

ONUS.

1. Res transit cum onere.
2. Neque enim ferendus est is qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ei annexum contemnit. *L. unicâ*, § 4, *cod. de caduc. toll.*

OPERARIUS.

Dignus est operarius mercede suâ.

OPINIO.

Justè creditur quod communiter creditur.

OPTIO.

(In optionibus) cùm semel dixerit haeres

utrùm dare velit, mutare sententiam non poterit. *L.* 84, *n.* 1, *ff. de leg.*

2. Optione factâ, jus eligendi consumitur.

OPUS, OPERA.

1. Operae promissae duobus, illae sunt prius praestandae cui priùs sunt promissae.

PAULUS DE CASTRO.

2. Si tui operis vitio accidit, tuum erit detrimentum.

ORIGO.

1. Attendi debet naturalis origo, non id quod ultrà incidit. *L. qui habebat, ff. de tutor.*

2. Nemo suâ voluntate propriâ origine eximi potest, multò minùs patris voluntate.

PACTA.

1. Illud tenendum est, pacta contra bonos mores, aut adversùs jus publicum, vel naturale, aut contra juris regulas non valere. *Valla, de reb. dub.*

2. Non nudis pactis, sed traditionibus, rerum dominia transferuntur.

3. Pacta dant legem contractui.

4. Pacta novissima servari oportere, tàm juris quàm ipsius rei aequitas postulat. *L.* 12, *cod. de pactis.*

5. Pacta quae turpem causam continent non sunt observanda. *L.* 27, *ff.* 4, *ib.*

6. Pactum personale non porrigitur ad haeredem.

7. Quod fit per legem, fieri potest per pactum. BARTHOLUS.

8. Pacta incontinenti adjecta censentur in contractu et partem contractûs facere. Pactum autem incontinenti censetur, quod est eodem die. SAVAGELUS.

9. Non valet pactum de haereditate viventis, nisi ipse voluntatem suam eis accomodaverit et in eâ usque ad extremum vitae spiritum perseveraverit. *L. fin. cod. de pactis.*

PALINODIA.

Revocatio injurae, seu palinodia, non excusat injuriantem quominùs in aestimationem quoque injuriae possit condemnari.

PAR.

Par in parem nullum habet imperium. ARGENTRÆUS.

PARERE.

Non potest dolo carere qui imperio magistratùs non paruit.

PARIA.

1. Paria sunt non esse aliquid, vel non esse legitimè.

2. Paria sunt aliquid fieri tempore prohibito, aut conferri in tempus prohibitum.

MOLINÆUS.

3. Paria sunt non exstare, aut non exstitisse.

4. Paria sunt non facere tempore praefinito, aut facere formâ non expletâ.

5. Æquitas paribus in causis paria jura desiderat. DUFAIL.

PARTAGIUM.

Non debet totum partagium conturbari sub praetextu modicae inaequalitatis.

ARGENTRÆUS.

PARTES.

1. Ubi partes expressae non sunt, aequales sunt.

2. Major pars intelligitur pro cumulo debiti, non pro cumulo personarum, nisi quandò in cumulo debiti esset aequalitas.

BARTHOLUS.

PARTUS.

1. Fructus et partus futuri rectè emuntur. Attamen politia prohibet viridium segetum emptionem.

2. Qui in utero est, perindè ac si in rebus humanis esset, custoditur, quoties de commodis ipsius partus quaeritur. *L.* 7, *ff. de statu hom.*

PARUM.

Parùm pro nihilo censetur. — De minimis non curat praetor.

PATER.

1. Patris delictum filio innocenti nocere non debet.

2. Pater est is quem justae nuptiae demonstrant, quidquid in contrarium vir et uxor dixerint.

3. Pater consilium capit pro liberis.

4. Arbitrium patris summum judicium esto.

5. Lex supplet judicium patris.

6. Etiam ubi intervenit patris auctoritas, minor restituitur. BARTHOLUS.

7. Injustam et mulctam pupillo debitam gratis remittere tutor non potest, pater potest. FABER.

8. Paterna potestas in pietate debet, non in atrocitate consistere. *L.* 5. *de lege pompeiâ de parric.*

9. Cujus pater in hostium potestate est, tutorem dari non posse palàm est.

ULPIANUS.

10. Non omnis mulier, viro juncta, uxor est viri; neque omnis filius haeres est patris: itaque aliud est uxor, aliud concubina, sicut aliud ancilla, aliud libera. *Caroli magni capit., caput 41, de uxoribus et concub.*

PATIENTIA.

1. Si tacuit, palàm est eum voluisse: patientiae consensus inest; qui tacet videtur consentire.

2. Scientia patientiam efficit; patientia tacitum consensum inducit. ARGENTRÆUS.

3. Consuetudo, usus, patientia justissimi tituli sunt et praesidium ad honores, jurisque constituti loco habendae sunt, proque omni ratione sufficit sic esse consuetum fieri.

GOTHOFREDUS.

PATRIMONIUM.

Absumptum non videtur, quod in corpus patrimonii versum est.

PAUPER.

1. Pauperis non misereberis in judicio.

SALOMO REX.

2. Pauperis creditoris cui debetur consideratio est potior, qui suum petit.

ARGENTRÆUS.

3. Nemo in necessitatibus praesumitur liberalis.

4. Id quod pauperibus testamento vel codicillis relinquitur, non ut incertis personis relictum evanescat, sed omnibus modis firmum ratumque consistat. *L. 24, cod. de epist. et cler.*

PECCATUM.

Peccatum non cognovi nisi per legem.
PAULUS AD ROM.

PECTUS.

Pectus est quod facit disertos.

PECULIUM.

Quidquid filio-familias advenit extra rem patris, peculio adventitio annumeratur.

PECUNIA.

1. Si pecunia non est numerata debitori, debet et creditor instrumentum reddere.

2. Pecunia, quamvis redacta ex re immobili, est mobilis. ARGENTRÆUS.

3. Non quaeritur origo pecuniae.

4. Pecunia communis est rerum utilium mensura. GROTIUS.

5. Pecuniam à te datam, si haec causa pro quâ data est, non culpâ accipientis, sed fortuito casu non est secuta, minimè repeti posse certum est. *L.* 10, *cod. de cond. ob caus. dat.*

PERCUSSOR.

Ille qui immediatè percutit percussorem suum, videtur facere ad defensam. BALDUS.

PERDUELLIO.

Sola voluntas perduellionem non facit, sed initium facti, id est factio vel conjuratio. CUJACIUS.

PEREGRINUS.

1. Peregrini capere non possunt haereditatem. *L.* 1, *de haer. inst.*

2. Peregrinus capax est eorum quae sunt juris gentium. BACQUET.

PERICULUM.

1. Qui non habet quod perdat, ejus periculo nihil est. *L.* 12, *ff. de furtis.*

2. Fur semper est in morâ, ideoque ad eum semper spectat periculum interitûs. BARTHOLUS.

3. Ubi majus periculum, ibi cautius agendum est.

PERJURIUM.

Perjurium Baldus definit esse mendacium juramento firmatum, et verum est.

ARGENTRÆUS.

PERMISSUM.

1. Non omne quod licet honestum est; attamen ubi non est lex, nec praevaricatio.

PAULUS AD ROM.

2. Non debet, cui plus licet, quod minùs est, non licere. In eo quod plus est, semper inest, et minùs.

3. Non est singulis permittendum quod per judicem fieri debet. ARGENTRÆUS.

PERMUTATIO.

1. In permutationibus, unaquaeque res pretii et rei loco habetur.

2. In permutatione discerni non potest, uter venditor sit. *L.* 1, § 1, *de cont. empt.*

3. Simplex permutatio conditionem rei non mutat.

PERSONA.

1. Una persona fungens vice duorum pro duobus habetur. ARGENTRÆUS.

2. Omnis potestas extra fines potestatis attributae aut propriae, privata est persona. *Idem.*

3. Mutatâ personâ, non mutatur conditio rei.

4. Omne jus personarum causâ constitutum est. *L.* 2, *ff. de statu hom.*

5. Parùm est jus nosse, si personae quarum causâ constitutum est ignorentur. § 12, *inst. de jure gent.*

6. Non antè juris ratio quàm persona quaerenda est. *L.* 14, *ff. de jure codicill.*

PETITIO.

1. Nemo auditur foris petens quod intùs habet.

1. Dolo facit qui petit quod redditurus est.

2. Si ex duobus petitoribus alter victus acquieverit, alterius petitioni non praejudicatur, idque ita rescriptum est. *L.* 63, *ff. de re judicatâ.*

PETITORIUM.

In materia petitoriâ non cadunt provisiones. *Idem.*

PIGNUS.

1. Qui pignoris plures res accepit, non cogitur unam liberare, nisi accepto universo quantùm debetur.—Quòd si non solvere, sed

aliâ ratione satisfacere paratus est debitor, fortè si expromissorem dare vult, nil prodest. *L.* 10, *ff. de pign. act.*

2. Minùs alienat qui pignori dat, quàm qui vendit.

3. Pro omni obligatione pignus dari potest.
BARTHOLUS.

4. Pignori rem acceptam usu non capimus, quia pro alieno possidemus. PAULUS.

5. Si, cùm nulla sententia praecessisset, capta sunt pignora, possunt revocari.
ULPIANUS.

Ab executione non est incipiendum.
PAULUS.

6. Si quis rem alienam mihi pignori dederit, sciens prudensque, crimine stellionatûs plectetur. *L.* 36, § 1, *ff. de pign. act.*

7. Si quis alii obligatam rem mihi obligaverit, nec me de hoc certioraverit, crimine stellionatûs plectetur. *Ibid.*

PLURALITAS.

1. Quod major pars curiae effecit, pro eo habetur ac si omnes egerint. SCÆVOLA.

2. Amplior pars obtineat, ita ut quod pluribus placet, hoc statuatur. *L. ult. cod.*

PLUS.

1. Plus cautionis est in re quàm in personâ.

2. Minor summa inest majori.

BARTHOLUS.

3. Major quaestio minorem causam ad se trahit. PAULUS.

4. Majorem esse partem pro modo debiti, non pro numero personarum placuit. *L.* 8, *de pactis*.

POENA.

1. Inspectâ calumniatoris qualitate, injuriarum gravitate, pondere et atrocitate, aliisque circumstantiis poena est infligenda.

2. Poena caput sequitur, non rem. (Haec regula valet contra confiscationem.)

3. Poenae ab haeredibus peti non possunt, si non est quaestio mota vivo eo qui deliquit. *L. interdùm* 16, *de poenâ, ff. de publ. vectig. et comm.*

4. Sancimus ibi esse poenam ubi et noxa est... Peccata igitur suos teneant auctores, nec ulteriùs progrediatur metus est, quàm reperiatur delictum. Alieni sceleris poenam nemo sentiat.

5. Ibi debet quis puniri, ubi deliquit.

BARTHOLUS.

6. Ferè in omnibus poenalibus judiciis et aetati et imprudentiae succurritur. PAULUS.

7. Poenae persecutio magistratûs voluntati non mandatur, sed legis auctoritati reservatur.
ARGENTRÆUS.

8. Poena ab lege statuta non est in potestate judicantis. *Si qua poena, ff. de verb. sign.*

9. In vindicandis injuriis, haec tria lex secuta est, ut aut eum quem punit emendet, aut ut poenâ ejus caeteros meliores reddat, aut ut, sublatis malis, securiores caeteri vivant.
SENECA.

POENALIA.

1. Cogitationis poenam nemo patitur. *L. ff. de poenis.*

2. Poena non irrogatur, nisi quae quâque lege vel alio jure specialiter hinc delicto imposita est. *L.* 131, *ff. de verb. sign.*

3. Non ad solam delictorum mensuram poena imponenda est, sed et inquirendum quis fuerit ejus qui peccavit animus.

POLITIA.

Politia est ordo quidam incolentium civitatem, in dominatione et subjectione consistens.
ARISTOTELES.

POLLICITATIO.

1. Pollicitatio est solius offerentis promis-

sum, non duorum consensus, non pactum, non conventio.

2. Pollicitatio nullam obligationem inducit, nec civilem, nec naturalem, nisi facta reipublicae et adhùc ex justâ causâ.

MOLINÆUS.

POSSESSIO.

1. Moribus Gallicis et usu fori etiam possessio solis legibus obligat.

2. In minore non mutatur causa possessionis.

3. Spoliatus ante omnia restituendus.

4. Jura metimur à possessore.

5. Melior est causa possidentis.

6. Non rectè possidet qui dolo malo possidet.

7. Inscio domino, per colonum praejudicium possessioni imponi non potest.

8. Dominium sine possessione non acquiritur. ARGENTRÆUS.

9. Cogi possessorem ab eo qui expetit titulum suae possessionis dicere, incivile est. *L.* 11, *cod. de haered. pet. Possideo quia possideo.*

10. Possessio non tantùm corporis est, sed et juris. *L.* 49, *ff. de acq. vel amitt. poss.*

11. Qui alteri possidet, non praescribit.

12. Possessio solo animo amitti potest, acquiri non item. *L.* 3, *initio ff. de acq. poss.*

13. Alia est aestimatio possessionis, alia fundi, seu proprietatis. BARTHOLUS.

14. Obligatio personalis non sequitur fundi possessorem. *Idem.*

15. In dubio non praesumitur quis alienasse ea quae repertus est possidere. *Idem.*

16. Clàm possidere eum dicimus, qui furtivè ingressus est possessionem, ignorante eo quem sibi controversiam facturam suspicabatur, et ne faceret timebat. ULPIANUS.

17. Justè possidet qui auctore praetore possidet. PAULUS.

18. Qui bonâ fide alienum fundum emit, eumdem à domino *conduxit*, quaero utrùm desinat possidere, an non? In promptu est, ut possidere desierit. MARCELLUS.

19. Si ab eo emas quem praetor vetuit alienare, idque tu scias, usucapere non potes. PAULUS.

20. Pignori rem acceptam usu non capimus, quia pro alieno possidemus. *Idem.*

21. Actus possessorii omnes quos quisquam exercet debent determinari à suâ causâ, id est, semper referri ad titulum correlativè, ut omninò fructus collegisse et tenuisse quisquis putandus sit, ex eo titulo quem habet.

22. Certum est malae fidei possessores omnes fructus solere cum ipsâ re praestare. *L. 22, cod. de rei vindic.*

23. In dubio, suo nomine potiùs quàm alieno possedisse quisque videtur. ARGENTRÆUS.

24. Malae fidei possessorem esse nullus ambigit, qui aliquid contra legum interdicta

mercatur. *L. quemadmodùm, cod. de usurp. et usuc.*

25. Vitia possessionum à majoribus contracta perdurant, et successorum auctoris sui culpâ comitatur. *L.* 11, *cod. de acq. et amitt. poss.*

26. Plures eamdem rem in solidum possidere non possunt contra naturam; quippè est ut, cùm ego aliquid teneam, tu quoque id tenere videaris. *L.* 3, § 5, *ff. de acq. et amitt. poss.*

27. Nil commune habet proprietas cum possessione. *L.* 1, 8, 11, *de acq. vel amitt. poss.*

28. Quamvis corporaliter teneat, non tamen sibi, sed domino rei creditur possidere. *L.* 9, *ff. de acq. vel amitt. poss.*

29. Nemo potest sibi mutare causam possessionis.

30. Possessio defuncti quasi juncta descendit ad haeredem. *L.* 30, *ff. ex quib. caus. in maj. in int. restituuntur.*

31. Is obtinet, eique adjudicatur possessio, qui antiquiorem possessionem probaverit, tamquàm qui justiorem possessionis causam habeat.

POTESTAS.

1. Omnis potestas extra fines potestatis attributae aut propriae, privata est persona.
Argentræus.

2. Paterna potestas in pietate debet, non in atrocitate consistere. *L.* 5, *de lege pompeiâ de parricid.*

3. Semel à patriâ potestate solutus jamjam in eamdem potestatem non est recasurus.

4. Solvitur patria potestas, finitur tutela, si pater, si tutor in servitutem redactus, vel etiam deportatus fuerit. JUSTINIANUS.

PRÆCEPTOR.

Praeceptoris nimia saevitia culpae assignatur. *L.* 6, *ff. ad leg. aquil.*

PRÆDIUM.

In urbanis praediis prout quisque habitaverit, ita et obligat.

PRÆDO.

Etiam praedonis res deposita restituitur. PAULUS.

PRÆJUDICIUM.

1. Quotiescumque cuiquam praejudicium fit, sive in principali, sive incidenti quaestione, toties eum vocandum. ARGENTRÆUS.

2. In modico tempore non est magnum praejudicium. ACCURTIUS.

PRÆSCRIPTIO.

1. Contra non valentem agere non currit praescriptio.

2. Tantùm praescriptum quantùm possessum.

3. Praescriptio est humani generis patrona.

4. Praescriptiones introductae sunt pro publicâ salute et tranquillitate.

5. Qui praescribi patitur, alienare videtur. ARGENTRÆUS.

6. Inter correos debendi factum unius nocet alteri, et interpellatio unius est interpellatio omnium. *L.* 27, *de duob. reis.*

7. Qui alteri possidet, non praescribit.

8. Quae temporalia sunt ad agendum, perpetua sunt ad excipiendum.

9. Tempus negligentiae auctoris conjungitur cum negligentiâ successoris. BARTHOLUS.

10. Pignori rem acceptam usu non capimus, quia pro alieno possidemus. PAULUS.

11. Ubi lex inhibet usucapionem, bona fides possidenti nihil prodest. POMPONIUS.

12. Bono publico usucapio introducta est ne scilicet quarumdam rerum diù et ferè semper incerta dominia essent, cùm sufficeret dominus ad inquirendas res suas statuti temporis spatium. *L.* 1, *ff. de usurp. et usucap.*

13. Ea quae sunt facultatis et voluntatis non praescribuntur. CHASSANÆUS.

14. Sine citatione non interrumpitur praescriptio.

15. Oportet ut qui praescribit in multâ temporis parte habeat conscientiam rei alienae. *Cap. ult. decret. concil. latran.*

PRÆSENS.

Verba praesentis temporis non porriguntur ad futura. BARTHOLUS.

PRÆSENTIA.

Praesentia pro consensu habetur. (Non semper.)

PRÆSUMPTIONES.

1. Praesumptio *juris et de jure* est dispositio legis aliquid praesumentis et super praesumpto, tamquàm sibi comperto, statuentis. ALCIAT.

2. Dicitur praesumptio *juris*, quia à lege introducta est; dicitur *de jure*, quia super tali praesumptione lex inducit firmum jus, et habet eam pro veritate. MONOCHIUS.

3. Praesumptio est conjectura seu divinatio in rebus dubiis, collecta ex argumentis vel indiciis per rerum circumstantias frequenter evenientibus.

4. Praesumpti dicitur ab eo quod plerùmque fit.

5. Quae non prosunt singula cumulata juvant.

6. Probationibus evidentissimis utendum est adversùs eum qui pro se praesumptionem juris habet.

7. Praesumptioni locus est, cùm veritas alio

modo investigari non potest. *L. nummis*, *ff. de legat.*

8. In certis non est conjecturae locus.

9. Ubi praesumptio est contra illum qui probare debebat, afficitur duriori probatione.
BARTHOLUS.

10. Qui culpâ caruit, dolo caruisse multò magis intelligendum est.

PRÆTERITA.

Praeterita magis reprehendi possunt quàm corrigi.

PRETIUM.

1. Pretia rerum non metimur à singulari affectione, sed aestimatione communi.
BALDUS.

2. Pretium rei furtivae non est furtivum.
ARGENTRÆUS.

PRIMOGENITUS.

Primogenitus intelligitur de eo qui ante se neminem habet, quamvis majores natu fratres habuerit, sed mortuos. ALCIAT.

PRIVILEGIUM.

1. Privilegium est lex privata et contra jus

communne, et privilegium faciliùs tollitur quàm jus commune.

2. Privilegia sunt stricti juris, nec extenduntur.

3. Privilegia, non ex tempore sed ex causâ aestimantur.

PROBATIO.

1. Probationibus evidentissimis utendum est adversùs eum qui pro se praesumptionem juris habet.

2. Actori incumbit onus probandi.

3. Frustrà probatur quod probantem, vel probatum non relevat.

4. Enuntiativa probant in antiquis, seu in antiquis omnia praesumuntur ritè et solemniter acta.

5. Facta per testes, non pacta probantur.

6. Probatis extremis, media praesumuntur.

7. Quod gratis asseritur, gratis negari potest.

8. Ei incumbit probatio, qui dicit, non ei qui negat. Negationis enim nulla probatio.

9. Indicia certa, quae jure non respuuntur, non minorem probationis, quàm instrumenta, continent fidem.

10. Ubi praesumptio est contra illum qui probare debebat, afficitur duriori probatione.
BARTHOLUS.

11. Qui nimis probat nil probat.

12. In tantâ testium facilitate nihil absurdius quàm magistratuum enunciata, sententias et judicata committi testium quorumlibet fidei. ARGENTRÆUS.

13. Nulla est major probatio quàm evidentia rei.

14. Qui regulam pro se habet, transfert onus probandi in adversarium et fundatam habet suam intentionem. *L.* 5, *ff. de prob. et praesumpt.*

15. Manifesta non egent probatione.

16. Jura nolunt probationum copiam angustiari.

17. Non epistolis, non nudis asseverationibus, nec ementitâ professione, sed natalibus necessitudo consanguinitatis conjungitur. *L.* 13, 14, *cod. de probat.*

PRODESSE.

Is fecit scelus cui prodest.

PROHIBITIO.

1. Ea quae fieri prohibentur, si fuerint facta, non solùm inutilia, sed etiam pro infectis habentur.

2. Cùm prohibetur aliquid, prohibentur etiam media ad illud tendentia.

3. Vetari satis intelligit, qui non consentit.

4. Permissum videtur ad omne quod non reperitur prohibitum.

5. In prohibitione statuti non fit extensio de personâ ad personam, nec de gradu ad gradum.

6. De re ad rem non fit extensio.

7. Quod fit lege prohibente, nullam vim habere indubitati juris est.

8. Cùm quid unâ viâ prohibetur alieni, ad id aliâ viâ non debet admitti. Bonifacius.

9. Patria sunt aliquid fieri tempore prohibito, aut conferri in tempus prohibitum.

Molinæus.

10. Nullum pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos videri volunt subsecutum, qui contrahunt lege contrahere prohibente. *L.* 5, *cod. de leg.*

11. Prohibitum ad tempus, videtur esse permissum. Bartholus.

12. Quod quibusdam prohibetur, aliis concessum videtur.

13. Prohibitio alienationis ad alienationem necessariam se non extendit, sed ad voluntariam tantùm. Paulus.

14. Prohibito uno prohibentur omnia quae sequuntur ex illo. *L.* 5, *cod. de legibus.*

15. Prohibitio alienandi non impedit dominii translationem.

16. Remunerare, solvere est, non donare. Donatio remuneratoria, non tàm donatio quàm

merces eximii laboris appellanda est. *L.* 34, *tit.* 5, *de donat.*

PROMISSIO.

1. Nulla promissio potest consistere, quae ex promittentis voluntate statum capit. *L.* 108, § 1, *ff. de verb. obl.*

2. Promissio facta in carcere nullius est momenti. Bartholus.

3. Quod quis intra annum dare promittit aut dare damnatur, ei potestas est quolibet ejus anni die dandi. Pomponius.

4. Qui bis idem promittit, id ampliùs quàm semel non tenetur. *Idem.*

5. Quod certâ die promissum est, vel statim dari potest; totum enim medium tempus ad solvendum promissori relinquitur. *L.* 7. *ff. de solut.*

PROPINQUI.

Justum est ut quos propinquitatis natura consociat, haereditariae successionis ordo non dividat.

PROPOSITIO.

Duae propositiones contrariae numquàm possunt esse simul verae.

PROPOSITUM.

1. Propositum in mente retentum, parte non expressum, nil relevat. BARTHOLUS.
2. Multa proponuntur quae non perficiuntur.

PROTESTATIO.

1. Qui protestatur non agit.
Protestatio cui adversarius consentit, liberat protestantem. *Idem.*

PROVISIO.

1. Provisio hominis facit cessare dispositionem legis.
2. Dos in fraudem creditorum constitui non debet.
3. Ille qui non praevidet quod praevidere debuit, in culpâ est. BALDUS.

PROXIMUS.

Proximus est quem nemo antecedit, supremus quem nemo sequitur. PAULUS.

PUPILLUS.

1. Obligari ex omni contractu pupillus sine tutoris auctoritate non potest, acquirere autem

sibi stipulando, etiam sine tutoris auctoritate potest. *L. obligari* 9, *ff. de auct. et cons. tut.*

2. Pupillus, procurator et defensor, jurare non coguntur. ALEXANDER.

3. Generaliter, quotiescumque non fit nomine pupilli id quod quivis pater-familias idoneus facit, non videtur defendi. ULPIANUS.

4. Bona pupillaria non licet tutoribus in proprios usus convertere.

QUASI-CONTRACTUS.

In judicio quasi contrahitur. ACCURSUS.

QUAESTIO.

Major quaestio minorem causam ad se trahit. PAULUS.

QUALITAS.

Non est major defectus quàm defectus qualitatis, seu potestatis.

RATIHABITIO.

1. Ratihabitio mandato comparatur.

2. Ratihabitio expressa vel tacita ad initium retrovenit.

RATIO.

Quod contra rationem juris receptum est, non est producendum ad consequentias.

Idem.

REATUS.

1. In reatu constitutus bona sua administrare potest. *L.* 46, *ff. de jur. fin.*

2. Post contractum capitale crimen, donationes factae valent, nisi condemnatio accusationem secuta sit ante factam donationem. *L.* 15, *ff. de don.*

RECEPTUM.

Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur, non ad modum dantis.

RECUSATIO.

1. Apertissimi juris est licere judices recusare, quia sine suspicione lites procedere nobis in corde est. *L.* 14, *cod. de jud.*

2. Si judex succedat uni ex litigatoribus in aliquo, desinit esse judex. BARTHOLUS.

3. Justa non est causa recusandi judicis, ex eo quod semel aliquis in aliâ causâ appellaverit, nisi passio quaedam animi in judicante detegatur. ARGENTRÆUS.

REDDITIO.

Propriè res non reddita dicitur, quae deterior redditur. ULPIANUS.

REFUGIUM.

Domus tutissimum cuique refugium atque receptaculum. *L.* 18, *ff. de in jus voc.*

REGERE.

Absurdum est ut alios regat, qui se ipsum regere nequit.

REGRESSUS.

Remittentibus jura sua non est regressus.

REGULA.

1. In omni jure, etiam sapientibus, semper periculosa visa est regularum constitutio, quia rarum est ut universale effatum subverti non possit, propter sententiarum et responsionum varietates tàm multiplices, quàm sunt hominum facta infinita. ARGENTRÆUS.

2. Qui regulam pro se habet, transfert onus probandi in adversarium et fundatam habet suam intentionem. *L.* 5, *ff. de prob. et praesumpt.*

RELIGIO.

Plurimùm valet ad metum delinquendi, praesentiâ religionis urgeri. SYMMACHUS.

REMISSIO.

1. Remittere, dare est; qui remittit, donat.
2. Remittentibus jura sua non est regressus.

RENUNTIATIO.

1. Licet unicuique juri pro se introducto renuntiare.
2. Renuntians successioni pro nullo habetur.
3. Aliud est officiosè consentire, aliud juri suo renuntiare. MOLINÆUS.
4. Renuntiatio nulla est, quae nullam habet causam.

REPETITIO.

1. Datum ex injustâ causâ repetitur. ALEXANDER.
2. Pecunia violenter soluta ex promissione repetitur. *Idem.*
3. Solvens indebitum ignoranter, repetit; scienter, non. ULPIANUS.
4. Naturalis obligatio impedit repetitionem soluti. BARTHOLUS.

5. Ante diem debitum solvens, non repetit. *Idem.*

6. Error circa rem debitam repetitionem inducit. *Idem.*

7. Pretium solutum ex causâ emptionis invalidae repetitur. BALDUS.

REPRÆSENTATIO.

Ex solâ repraesentatione nemo quoad extraneos obligatur, genitoris sui haereditate abstinet nepos, rectè et avi et patrui successor est, negatâ paternis creditoribus actione.

SOMMEREN.

REPUGNANTIA.

Ubi repugnantia inter se inveniuntur, neutrum ratum est.

RES, NOMEN.

Rem non tenemus, nomine abutimur.

ARGENTRÆUS.

RES ALIENA.

1. Nemo legem dicit rei alienae.

2. Nemo rem alienam invito domino vendere potest.

3. Culpa est immiscere se rei ad se non pertinenti. *L.* 36, *ff. de reg. jur.*

RES LITIGIOSA.

Omninò tamen de re litigiosâ contrahere prohibentur magistratus. ARGENTRÆUS.

RES ET PRETIUM.

1. Nemo debet carere re et pretio.
2. Rescisso principali, rescinditur accessorium; secùs è converso. BARTHOLUS.

RESIDUUM.

Appellatione residui totum continetur.

RESOLUTIO.

Resoluto jure dantis, resolvitur jus accipientis.

RESPONSIO, RESPONSUM.

1. Obscurè respondere et nihil respondere paria sunt. *L.* 7, § 7, *de interrog.*
2. Si me *viginti* interrogante, tu *decem* respondeas, obligatio in decem tantùm erit contracta.

RESTITUTIO.

1. Beneficium restitutionis transit ad haeredes. *Idem.*

2. Etiam ubi intervenit patris auctoritas, minor restituitur. *Idem.*

3. Is qui non solvit, exactionem non habet ejus quod non solvit, cùm ipsius non intersit. Ignæus.

4. Qui post quintum et vigesimum annum aetatis, ea quae in minore aetate gesta sunt rata habuerint, frustrà rescisionem eorum postulant. *L.* 2, *si maj. fact. rat. hab.*

5. Pecuniam à te datam, si haec causa pro quâ data est, non culpâ accipientis, sed fortuito casu non est secuta, minimè repeti posse certum est. *L.* 10, *cod. de cond. ob caus. dat.*

REUS.

1. Reus potest exigere ab actore ut edat sibi instrumenta, si ea scilicet in suâ potestate habeat, quibus contendit se posse causam suàm instruere, vel exceptionem probare.

Attamen nemo contra se edere tenetur.

2. Reus in exceptione actor est. Reus excipiendo fit actor. *L.* 1, *ff. de except.*

3. Favorabiliores rei quàm actores habentur.

4. Omnes exceptiones quae reo competunt, fidejussori quoque, etiam invito reo competunt. Marcianus.

5. Is qui reus factus est, purgare se debet, nec antè potest accusare quàm fuerit excusatus. Ulpianus.

6. Magnâ omninò ratione repertum est, quocum rem habeas, ad dicendam causam in jus evocari, nec antè respondere cogi quàm admonitus sit qui convenitur, et tempore ad compatandas defensiones dato. Alioqui futurum est ut rei immediati repentino agentium incursu opprimantur. ARGENTRÆUS.

ROGARE.

Imperiosissimum rogandi genus, cùm qui imperare potest, rogat. PLINIUS.

RUSTICITAS.

Rusticitati aliquandò parcendum. *L.* 2, *ne quis cum.*

SÆVITIA.

Numquàm aliud natura, aliud sapientia poscit.

SATISDATIO.

1. Satisdatio non impedit quin tutor possit, si malè gerat, ut suspectus removeri. BARTHOLUS.

2. Olim satisdatio ab usufructuario desiderabatur. *L. si cujus, ff. de usuf.*

(Et nunc quoque desideratur articulo 602 novi Codicis juris civilis).

SCELUS.

1. Is fecit scelus cui prodest.

2. Sceleris haec prima est ultio, quòd, se judice, nemo nocens absolvitur.

ARGENTRÆUS.

SCOLARES.

Militi relinquenda sunt arma, et scholaribus libri.

SCRIPTURA.

1. Non solent quae abundant vitiare scriptura. ULPIANUS.

2. Nihil prohibet priorem scripturam posteriore corrigere, commutare, rescindere.

3. Non tàm scriptura quàm veritas considerari solet.

4. Novissima scriptura in legatis spectanda.

5. Exemplo perniciosum est, ut ei scripturae credatur quâ unusquisque sibi adnotatione propriâ debitorem facit. *L. exemplo, cod. de probat.*

6. Scriptura privata fidem non facit adversùs tertium. *L.* 5, *cod. de probat.* — *L.* 3, *ff. de jure fisci.*

7. Fiunt scripturae, ut quod actum est per eas probari possit. *L.* 4, *ff. de fide instrument.*

SECRETUM.

Post arrestorum prolationem (et à fortiori ante) nullus, cujus opinionis fuerint domini, debet aliis revelare; contrarium verò faciens, perjurii poenam noverit se incurrisse. *Ord. de* 1344, *Font. t.* 1, *p.* 15.

SECURIUS.

Securium est superfluus admittere quàm omittere necessarium.

SEMEL.

Quod semel placuit, amplius displicere non debet.

SENECTUS.

Senectus ad donationem faciendam sola non est impedimento.

SENTENTIA.

1. Sentententia debet libello esse conformis, et potestas judicis ultra id quod in judicium deductum est nequaquàm potest excedere. *L.* 18 *ff. de comm. divid.*

2. Sententia interlocutoria potest mutari: definitiva non potest, nec ex causâ erroris corrigi.

BARTHOLUS.

3. Sententia arbitri incerta nulla est.

4. Si diversis summis condemnent judices, minimam spectandam esse Julianus scribit.

5. Actorum verba emendare, tenore sententiae perseverante, non est prohibitum.

Hermogenianus.

6. Sententia lata contra mortuum est ipso jure nulla. Bartholus.

7. Judex, posteaquam semel sententiam dixit, judex esse desinit; semel enim, seu benè, seu malè, officio functus est.

Ulpianus.

8. Ubi duplex fertur sententia, ibi duplex appellatio est necessaria. Bartholus.

9. In tantâ testium facilitate nihil absurdius quàm magistratuum enuntiata, sententias et judicata committi testium quorumlibet fidei.

Argentræus.

10. In re propriâ, iniquum est alienae licentiam tribuere sententiae. *L. unic., cod. ne quis in causâ judicat.*

11. Idem requiritur numerus judicum judicandis interlocutionibus, qui requiritur in judicandâ definitivâ. Grimaudet.

12. Corruptae judicum videntur esse sententiae, si sint legibus mitiores. Cujacius.

13. Ab interlocutionibus non appellatur.

Idem.

SEPARATIO.

1. Factâ separatione, mulier non est amplius in potestate viri. MOLINÆUS.

2. Separatorum separati sunt effectus.

3. Liberorum favor difficiliorem reddat separationem.

4. Ubi de separatione bonorum agitur, opus est inquisitione quâ probetur maritum decoctorem esse, desperataeque salutis.

MORNACIUS.

SEQUESTER.

1. Sequester est translatio rei litigiosae in tertiam personam facta, consensu partium vel auctoritate judicis, eâ conditione ut cui vicerit ea res reddatur et restituatur, unà cum fructibus quos sequester, lite pendente, acceperit.

2. Agente extraneo, non est locus sequestro adversùs haeredem in possessione; secùs inter duos qui se haeredes esse praetendunt ejusdem tituli et juris.

SERVITUTES.

1. (In servitutibus) non per villam ipsam nec medias vineas ire, agere sinendus est; cùm id aequè, commodà per alteram partem facere possit, minore servientis fundi detrimento. *L.* 9, *Dig. de servit.*

2. Nemini sua res servit, jure servitutis.

3. Qui debet servitutem, cogitur pati, non agere. BARTHOLUS.

4. In pariete communi, non potest quis fenestras facere, nisi fuerit concessum. *Idem.*

5. Qui permittit aedificari in loco serviente, servitutis jus amittit. *Idem.*

6. Tempus negligentiae auctoris conjungitur cum negligentiâ successoris. *Idem.*

7. Usu retinetur servitus, non utendo amittitur.

8. Naturâ comparatum est ex-jure gentium ut unus ager alteri serviat secundùm situm agrorum. DUFAIL.

SILENTIUM.

1. Qui tacet, non utiquè fatetur; sed tamen verum est eum non negare. PAULUS.

2. Silentio fit ratihabitio.

SIMULATIO.

1. Plùs valet quod agitur quàm quod simulatè concipitur.

2. Non refert quo nomine res veletur, dummodò subsit veritas.

3. Veritatem spectamus, non quod quis finxit.

4. Non praesumitur fraus nec simulatio,

ubi inter eosdem, aliâ apertâ viâ, idem fieri potuit. MOLINÆUS.

5. Acta simulata veritatis substantiam mutare non possunt. *L.* 2, *tit.* 22.

SOCIETAS.

1. Uno negotiante non potest praesumi societas contracta.

2. In communione vel societate nemo compellitur invitus detineri. *L.* 5, *cod. de comm. divid.*

3. Socius socii mei non est meus socius.

4. Morte socii solvitur societas.

5. Iniquissimum est societatis genus, ex quâ quis damnum, non etiam lucrum spectet. ULPIANUS.

6. Etiamsi socii haeres socius non sit, ea tamen quae per defunctum inchoata sunt per haeredem explicari debent, in quibus dolus ejus admitti potest. POMPONIUS.

SOCIUS.

1. Societas unius negotiationis non porrigitur ad aliam. BARTHOLUS.

2. Renuntiatio societati intempestiva non liberat renuntiantem, sed facit socios à renuntiante liberari. BALDUS.

3. Cùm societas contrahitur, tàm lucri quàm damni communio initur. PAULUS.

4. Jure societatis, per socium aere alieno socius non obligatur, nisi in communem arcam pecuniae versae sint. PAPINIANUS.

5. Absentia diuturna justa est causa dissolvendae societatis. GOTHOFREDUS.

6. Societas jus quodam modo fraternitatis in se habet. *L.* 63, *pro socio.*

7. In societatibus contractibus fides exuberet. *L.* 3, *cod.*

8. Quae coeuntium fiunt continuò communicantur. *L.* 1, *in fine*, *ff. pro socio.*

9. Generaliter traditur rerum inhonestarum nullam esse societatem. *L.* 57, *ff. pro socio.*

10. Tamdiù societas durat, quamdiù consensus partium integer perseverat. *L.* 5, *cod. pro socio.*

11. Si alicujus rei societas sit, et finis negotio impositus, finitur societas. *L.* 65, § 10, *ff. pro socio.*

12. Societas non rectè contrahitur donationis causâ. *L. societ.* 5, *ff. pro socio.*

13. Advocati non debent exercere officium tabellionis. *Gloss. in leg.* 15, *cod. de decur.*

14. Epistola commendandi magis quàm mandandi causâ scripta est.

15. Æquè necessaria est divisio inter communes, sive ex societate, sive sine societate, ex quâvis causâ, satis est quod alter ab altero cogi possit dividere. MOLINÆUS.

16. Si socius ita injuriosus sit ut non expediat eum pati, renuntiatur societati.

SOLEMNITAS.

Solemnitas extrinseca non praesumitur, nisi probetur. BARTHOLUS.

SOLUTIO.

1. Solutione extinguitur omnis obligatio, et per solutionem nulla ampliùs actio creditori remanet.

2. Quod nullum est, rescisione non aget.

3. Qui sic solvit pecuniam, ut statim recipiat, solvisse non videtur. *L. qui sic*, § *ff. de solut.*

4. Is qui certo loco dare promittit, nullo alio loco quàm in quo promisit, solvere invito stipulatore potest.

5. Alius pro alio solvere potest, non aliud pro alio solvi, nisi volenti.

6. Aut cedat, aut solvat. (Regula in hypothecis servata.)

7. Qui sciens indebitum solvit, non repetit. *Idem.*

8. Pecunia violenter soluta ex promissione non repetitur. ALEXANDER.

9. Solvens indebitum ignoranter, repetit; sciens, non. ULPIANUS.

10. Naturalis obligatio impedit repetitionem soluti. BARTHOLUS.

11. Ante diem debitum solvens, non repetit. *Idem.*

12. Error circa rem debitam repetitionem inducit. *Idem.*

13. Pretium solutum ex causâ emptionis invalidae repetitur. Bartholus.

14. Non potest creditori invito alibi solvi, quàm in loco destinato. *Idem.*

15. Solutio naturalis debiti non est donatio. *Idem.*

16. Cùm jussu meo, id quod mihi debes, solvis creditori meo, et tu à me, et ego à creditore meo liberor. Paulus.

17. Semper est electio debitoris de pluribus quod solvat, de locis ubi solvat, cùm rerum sola assignatio facienda est. Argentræus.

18. Dies solutionis, sicuti summa, pars est solutionis. *L.* 1, § 2, *de edendo.*

19. Quod certâ die promissum est, vel statim dari potest; totum enim medium tempus ad solvendum promissori relinquitur. *L.* 70, *ff. de solut.*

20. Non est ambigui juris, reo electo et solvente, fidejussorem liberari. *L.* 2, *cod. de fidej.*

21. Non interest quis solvat, utrùm ipse qui debet, an alius pro eo. *Instit. quib. mod. toll. abl.*

22. Quoties quis debitor ex pluribus causis unum debitum solverit, est in arbitrio solventis dicere quod potiùs debitum voluerit solutum, et quod dixerit id erit solutum. Possu-

mus enim certam legem dicere ei quod solvimus. *L.* 1, *ff. de solut.*

23. Solvit qui reum delegat. *L.* 8, § 3, *ad S. C. Ellcianum.*

24. Debitor solvens alteri quàm vero creditori, ab obligatione non liberetur. *L. invito*, *cod. de solut.*

25. Multò satius est non solvere quàm solutum repetere.

26. Si solutio simpliciter facta sit, cessio juris debet fieri incontinenti. (Haec sententia intelligitur de subrogationibus.)

27. Omnis solutio non idem reddit, sed tantùmdem.

28. Solutio potest ab alio fieri quàm à debitore.

29. Si per errorem solutio facta sit post sententiam judicis ex falsis instrumentis, soluti datur repetitio. *L. qui agnitis*, *ff. de except.*

SPECIALITAS.

Duae specialitates non possunt concurrere circa idem subjectum.

SPOLIATUS.

Spoliatus antè omnia restituendus.

SPONSIO.

Ubi pro virtute certamen non fit, sponsionem facere non licet. Albertus.

STATUÆ.

Statuae affixae basibus non sunt aedium; ornatus enim aedium causâ parantur, non quibus aedes perficiantur. *L.* 2, § 45, *de verb. sign.*

STATUS.

1. Lex naturae haec est, ut qui nascitur sine legitimo matrimonio, matrem sequatur. *L.* 24, *de statu hominum.*

2. Factâ separatione, mulier non est ampliùs in potestate viri. Molinæus.

3. Res quaeque facilè pristinum statum recuperat.

4. Imperator Titus Antoninus rescripsit non laedi statum liberorum ob tenorem instrumenti male concepti. *L.* 8, *ff. de stat. hom.*

STATUTUM.

1. In prohibitione statuti non fit extensio de personâ ad personam, nec de gradu ad gradum.

2. Faciens aliquem actum videtur eum subjicere statuto de illo actu loquenti.

3. Statuta tantùm disponunt quantùm loquuntur. CHALINE.

4. Dispositio quae statuto expressa non est, sed tamen expresso fit affinis et conjuncta, ut eodem spiritu, id est, ratione animetur, videri debet, non per extensionem, sed in mente statuti intellecta et comprehensa, et incogitantiâ potiùs omissam quàm intentione statuentium qui, interrogati, haud dubiè idem erant responsuri. ARGENTRÆUS.

5. Statutum non potest habilitare personam non sibi subjectam. BARTHOLUS.

6. Statuta suo clauduntur territorio, nec ultra territorium disponunt.

PAULUS DE CASTRO.

STELLIONATUS.

1. Stellionatum objici posse sciendum est his qui dolo quid fecerunt. *L.* 3, *ff. stellion.*

2. Si quis rem alienam mihi pignori dederit, sciens prudensque, crimine stellionatûs plectetur. *L.* 36; § 1, *ff. de pign. act.*

3. Si quis alii obligatam rem mihi obligaverit, nec me de hoc certioraverit, crimino stellionatûs plectetur.

PAULUS DE CASTRO.

STIPULATIO.

1. In stipulationibus quidquid palàm verbis non exprimitur, illud pro omisso habendum est. *L.* 99, *ff. de verb. oblig.*

2. Non valet stipulatio per quam aufertur libera testandi voluntas. Bartholus.

Quia, inquit Julianus, contra bonos mores est.

3. Stipulatio non potest confici, nisi utroque loquente.

STYLUS.

1. Ea quae sunt styli non operantur in contractibus.

2. Nihil est quod magis hominibus debeatur quàm ut supremae voluntatis liber sit stylus, et licitum quod iterùm non redit arbitrium. *Disponat testator, et erit lex.*

SUBROGATIO.

Subrogatum sapit natura subrogati.

SUBSCRIPTIO.

Scriptura, in quâ nulla subscriptio, nullam facit fidem, nec majoris est momenti quàm mera cogitatio quae nullam poenam meretur apud homines. Jo. Caldrenus.

SUCCESSIO.

1. Successio non fit per saltum.

2. Renuntians successioni pro nullo habetur.

3. Cui datum est tempus ad deliberandum, adiisse videtur, nisi repudiet. *L. ult.*, *cod. de jure delib.*

4. Iniquum est ut quibus competit aequa successio, alii abundanter affluant, alii paupertatis incommodis ingemiscant.

AMBROSIUS.

5. Hanc legem perpetuò tene, quae dicit quòd, sublato filio de medio, nepos succedit loco filii. BARTHOLUS.

SUPERFICIES.

Superficies solo cedit.

SUPERFLUUM.

Securius est superfluum admittere quàm omittere necessarium.

SUUM.

1. Qui suum petit neminem defraudat.

2. Repetitio nulla est ab eo qui suum recepit, et si ab alio quàm à vero debitore receptum est.

3. Nihil dolo creditor facit, qui suum recipit. PAULUS.

TABELLIO.

Advocati non debent exercere officium tabellionis. *Gloss. in leg.* 15, *cod. de decur.*

TACERE, TACITUM.

1. Si tacuit, palàm est eum voluisse; patientiae consensus inest. Qui tacet, videtur consentire.

2. Qui tacet, non utiquè fatetur; sed tamen verum est eum non negare. PAULUS.

3. Eadem vis taciti ac expressi.

TELA.

Tela praevisa minùs feriunt.

TERMINUS.

Dies termini, id est, à quo terminus computatur, non est in termino sed extra. RICARDUS.

TESTAMENTUM.

1. Libet scrutari defuncti voluntatem, quia nihil apud nos apertius, nihil animo nostro sacratius esse debet. QUINTILIANUS.

2. Inofficiosum videtur id omne quod contra pietatis officium factum est.

3. In testamentis voluntatem potiùs quàm verba spectari placuit.

4. Falsa causa non vitiat legatum.

5. Ambulatoria est voluntas usque ad vitae supremum exitum.

6. Semper vestigia sequimur voluntatis testatorum.

7. Prohibens testari indignus fit haereditate. Testari cogens in crimen incidit.

8. Nemo potest in testamento suo cavere ne leges locum habeant.

9. Furor interveniens non rumpit testamentum ante furorem conditum.

10. Quòd si ita scriptum sit, si haeres voluerit, non valebit legatum, seu testamentum. *L.* 46, *ff. de fidei com. liber.*

11. Qui non potest dare, non potest confiteri.

12. Quae in testamento ita scripta sunt ut intelligi non possint, perindè sunt ac si scripta non essent. *L. quo tutela* 73, *et quae*, *ff. de reg. jur.*

13. Strictè interpretandae non sunt voluntates defunctorum.

14. Verba enuntiativa à testatore prolata, creditoribus non praejudicant. ACCURSUS.

15. Non valet stipulatio per quam aufertur libera testandi voluntas. BARTHOLUS.

16. Posteriore testamento, quod jure perfectum est, superiùs rumpitur.

17. Nemo executor testamenti esse cogitur.
ARGENTRÆUS.

18. Testamentum testibus non probatur.
Idem.

19. Illud notissimum est eum qui legatum percepit, non rectè de inofficioso testamento dicturum. *L.* § 1, *ff. de ineff. test.*

20. Si quis in nomine vel cognomine legatarii testator erraverit, si de personâ constat, nihilominùs valet legatum. § *si quis*, *institut. de legat.*

21. Constanter veteres decreverunt testamentorum jura per se firma esse oportere, non ex alieno arbitrio pendere. *L.* 32, *ff. de haered. instit.*

22. Non aliter à significatione verborum recedi oportet, quàm cùm manifestum est aliud sensisse testatorem. *L.* 69, *ff. de legat. V. s.* 247.

23. In testamentis obscura pro non scriptis habentur. CUJACIUS.

24. (In optionibus) cùm semel dixerit haeres utrùm dare velit, mutare sententiam non poterit. *L.* 84, *n.* 1, *ff. de leg.*

25. Suprema voluntas est ea, postquàm alia nulla declarata est. *L.* 1, *ff. de bon. poss.*

26. Si signa turbata sint ab ipso testatore, non videtur signatum. *L.* 2, § 1, *ff. qui. test. fac. poss.*

27. Nihil est quod magis hominibus debeatur quàm ut supremae voluntatis liber sit stylus, et licitum quod iterùm non redit arbitrium. *Disponat testator et erit lex.*

28. Deportati testamentum facere non possunt, quòd nullius sint certae civitatis cives, ut secundùm leges suae civitatis testentur.

CUJACIUS.

29. Si cui aquâ et igne interdictum sit, ejus nec illud testamentum valet quod anteà fecit, nec id quod posteà.... In insulam deportati in eâdem causâ sunt. *Idem.*

30. Id quod pauperibus testamento vel codicillis relinquitur, non ut incertis personis relictum evanescat, sed omnibus modis firmum ratumque consistat. *L.* 24, *cod. de epist. et cler.*

31. In conditionibus primum locum voluntas defuncti obtinet, eaque regit conditiones. *L.* 19, *ff. de condit. et demonstr.*

32. Scripsisse et subsignâsse (testamentum) magnam habet voluntatis, praemeditationis, et perseverantiae praesumptionem et judicium.

ARGENTRÆUS.

33. Testamenti factio, non privati, sed publici juris est, ideòque forma ejus privatorum pactis non laeditur. PAPIRIUS.

34. Cùm in testamento diès et consul adjecti non sunt, nihil nocet quominùs valeat testamentum. MODESTINUS.

35. Nemo partim testatus, partim intestatus moritur.

36. Testator non praesumitur voluisse quod non dixit. GRIVELLIUS.

TESTIS, TESTIMONIUM.

1. Testi fides adhibenda non est, cui imperari potest ut testis fiat.

2. Ea quae domi geruntur, non facilè per alienos possunt confiteri.

3. Nemo est idoneus testis in suâ causâ.

4. Duobus (testibus) asserentibus affirmativum magis creditur, quàm etiam decem negantibus. BOERIUS.

5. In testibus spectanda sunt dignitas, fides, mores: qui vacillant, non sunt audiendi.

6. Contra scriptum testimonium non scriptum testimonium non fertur.

7. Testis unus, testis nullus. Unius omni modo testis responsio non audiatur.

8. In ore duorum vel trium testium stet omne verbum.

9. In tantâ testium facilitate nihil absurdius quàm magistratuum enuntiata, sententias et judicata committi testium quorumlibet fidei. ARGENTRÆUS.

10. Si testis dicit falsum in uno capitulo, in totum reprobatur dictum suum; etiam in

aliis capitulis non divisis, non creditur ei tanquàm perjuro. BALDUS.

11. Si testes in modico sint contrarii, nihilominùs fidem faciunt. MASCARDUS.

12. Licet unus testis minùs deponat quàm alter, non sunt propterea contrarii.
RANCHINUS.

13. Testes deponentes non verisimilia, non probant, imò sunt de falso suspecti.
BOSSIUS.

14. Non ad multitudinem respici oportet, sed ad sinceram testimoniorum fidem et testimonia quibus potiùs lux veritatis adsistit. *L.* 21, § 3, *ff. de testib.*

15. Non creditur testi, nisi reddat rationem dicti sui. MASCARDUS.

16. Testes qui adversùs fidem suae testationis vacillant, non sunt audiendi. *L.* 11, *ff. de testib.*

17. Poena legis Corneliae irrogatur ei qui falsas testationes faciendas, testimoniave falsa dicenda, dolo malo coierit. *L. poena* 1, § 1 *et* 2, *ff. de leg. Corn. de fals.*

18. Quidam propter lubricum consilii sui, alii verò propter notam et infamiam vitae suae, admittendi non sunt ad testimonii fidem. *L.* 3, *ff. de testib.*

THESAURUS.

Qui thesaurum in proprio fundo invenit, totius fit dominus. *L. unic., cod. de thesauris*, § 39.

TIMOR.

1. Vani timoris justa non est excusatio.
CELSUS.

2. Nunquàm fidele consilium daturus est timor.

TITULUS.

1. Melius est non habere titulum quàm ostendere vitiosum.

2. De rebus quae non apparent, ac de his quae non sunt, idem est judicium.

3. Nemo adnotatione propriâ sibi facit debitorem. — Nemo sibi titulum adscribit.

4. Qui dat, vel dari mandat instrumentum, videtur liberationem relinquere.
BARTHOLUS.

5. Exemplo perniciosum est, ut ei scripturae credatur quâ debitorem facit unusquisque sibi adnotatione propriâ. *L. exemplo, cod. de probat.*

6. Titulus nullus pro non titulo est.

TRADITIO.

Quoties duobus insolidum praedium jure distrahitur, manifesti juris est eum cui priori traditum, in detinendo dominio, esse potiorem. *L. quoties, cod. de rei vindic.*

TRANSACTIO.

1. Transactio non porrigitur ad ea de quibus non est excogitatum.

2. Transactio est timor litis.

3. Transactionem bonâ fide finitam rescindi jura non patiuntur, nisi per se, vel per alium subtractis instrumentis quibus veritas argui potest. *L.* 19, *cod. de transact.*

4. Aperta est eorum iniquitas qui reducunt in quaestionem res transactionibus legitimis finitas, et qui per impatientiam quietis finem jurgii secundâ lite commutant.

5. Non valet transactio, cùm alterius partis instrumenta celantur.

6. Transactio fit tantùm de re dubiâ et incertâ, adeò ut lites fingi non debeant, ut hoc colore transactiones fiant. *L.* 1, *ff. de transact.*

TRANSFUGA.

Transfugae nullum postliminium est; nam

qui malo consilio et proditoris animo patriam reliquit, hostium numero habendus est. *L.* 19, § 4, *de captivis et postliminio.*

TRANSLATIO.

1. Nemo plus juris in alium transferre potest quàm ipse habet.

2. Quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest.

3. Ita à me tibi datur, ut ex meo tuum fiat. *Instit. quib. modis re contr.*

TURPE, TURPITUDO.

1. Turpia lucra sunt ab haeredibus extorquenda, licet crimina extinguantur. *L.* 5, *ff. de calumn.*

2. Non auditur propriam allegans turpitudinem.

TUTELA, TUTOR.

1. Absurdum est ut alios regat qui se ipsum regere nequit.

2. In tutoribus eligendis, mores facultatibus praeferri debent.

3. Tutorem habenti tutor dari non potest. Attamen simul plures tutores dari possunt.

4. Tutoris praecipuum est officium, ne indefensum pupillum relinquat. MARCELLUS.

5. Tutela lucro tutori esse non debet.

6. In paucissimis distant curatores à tutoribus.

7. Sufficit tutori benè et diligenter negotia gessisse, etsi eventum habuit adversum quod gestum est. *L.* 3, § *de contr. tut. et ut act.*

8. Obligari ex omni contractu pupillus sine tutoris auctoritate non potest, acquirere autem sibi stipulando, etiam sine tutoris auctoritate potest. *L.* 9, *obligari*, *ff. de aut. et cons. tut.*

9. Generaliter quotiescumque non fit nomine pupilli id quod quivis pater-familias idoneus facit, non videtur defendi. ULPIANUS.

10. Si tutoris haeres exsecutus est quae tutor inchoavit, tutelae etiam eo nomine tenetur. POMPONIUS.

11. Nulla differentia est, non interveniat tutoris auctoritas, an perperàm adhibeatur. ULPIANUS.

12. Satisdatio non impedit quin tutor possit, si malè gerat, ut suspectus removeri. BARTHOLUS.

13. Suspectum tutorem eum putamus qui moribus talis est ut suspectus sit; enim verò tutor, quamvis pauper, fidelis tamen et diligens, removendus non est quasi suspectus. ULPIANUS.

14. A tutelâ et curâ excusantur, qui 70 annos excesserunt. ANTONIUS AUGUST.

15. Tutor et curator dolum, latam et levem culpam praestant. ARGENTRÆUS.

16. Neque volentem deponi posse tutorem, nec invito posse auferri tutelam certissimum est, nisi causa superveniat. *Idem.*

17. Generaliter, factum tutoris, factum pupilli.

18. Tutoribus concessum est, à debitoribus pupilli pecuniam exigere, non donare, vel etiam diminuendi causâ cum eis transigere. *L.* 46, *ff. de admin. et peric. tut.*

19. Quidquid tutoris dolo, vel latâ culpâ aut levi, seu curatoris, minores amiserint hoc in tutelae seu negotiorum gestorem utile judicium venire non est incerti juris. *L.* 7, *de aut. tut.*

20. Usurae à tutoribus non statim exiguntur, se intervallo tempore ad exigendum. *L.* 7, § *de peric. tut.*

21. Pecuniae quas in usus suos converterunt tutores, legitimas usuras praestant. *L.* 7, § 4, *de adm. et peric. tut.*

22. Tutor in re pupilli domini loco habetur, cùm tutelam administrat, non cum spoliat.

23. Injuriam et mulctam pupillo debitam gratis remittere tutor non potest, pater potest. FABER.

24. Tutor nec est in dolo, nec in culpâ, qui acquirendi occasione non utitur.

25. Cujus pater in hostium potestate est, tutorem dari non posse palàm est.

ULPIANUS.

26. Solvitur patria potestas, finitur tutela, si pater, si tutor in servitutem redactus, vel etiam deportatus fuerit. JUSTINIANUS.

27. Ad certum tempus, seu ex certo tempore, vel sub conditione posse dari tutorem non dubitatur. *Idem.*

TUUM.

Ita à me tibi datur, ut ex meo tuum fiat. *Instit. quibus modis re contr.*

URBS.

1. Suburbia urbis appellatione continentur.

2. Urbes èx conjunctis domiciliis constat; civitates ex conventiculis hominum. CICERO.

3. Urbis appellatio muris finitur. *L.* 2, *de verb. sign.*

USURA.

1. Perceptio usurarum ab uno non perimit actionem adversùs alios competentem in solidum. BARTHOLUS.

2. In deposito pecuniae numeratae, veniunt usurae à tempore morae. *Idem.*

3. Usurae à tutoribus non statim exiguntur, sed intervallo tempore ad exigendum. *L.* 7, § *de peric. tut.*

4. Nullo modo usurae usurarum à debitoribus exiguntur. *L.* 28, *cod. de usuris.*

5. Usuras emptor cui possessio tradita est, si pretium venditori non obtulerit, ipso jure, aequitatis ratione praestare cogitur. *L.* 2, *cod. de usuris.*

USUS.

1. Malè adinventa, malaeque consuetudines, neque ex longo usu, neque ex longâ consuetudine confirmantur.

2. Diuturnus usus, non jure suo, nihil acquirit, nec mille quidem annis.

ARGENTRÆUS.

3. Defectu legis aut pacti conventi, recurrendum est ad usum loci in quo res peragitur.

4. Non est in culpâ, si quis utatur re ad eum usum ad quem est destinata.

BARTHOLUS.

5. Usûs pars legari non potest. Nam frui quidem pro parte possumus, uti pro parte non item. PAULUS.

6. Consuetudo, usus, patientia justissimi tituli sunt et praesidium ad honores jurisque constituti loco habendae sunt, proque omni ratione sufficit sic esse consuetum fieri.

USUSFRUCTUS, USUSFRUCTUARIUS.

1. In venditione bonorum, etiam ususfructus veniat, quia appellatione domini, fructuarius quoque continetur. ULPIANUS.

2. Fructuarius causam proprietatis deteriorem facere non debet. *L.* 13, *ff. de usufr.*

3. Morte amitti usumfructum non recipit dubitationem. *L.* 3, § *ult. ff. quibus modis usufr. amitt.*

4. Si aedes incendio corruptae fuerint, vel vitio suo corruerint, extingui usumfructum, et ne aere quidem extingui usumfructum debere. § 3, *instit. de usufr.*

UTILE.

1. Utile per inutile non vitiatur in his quae separari possunt.

Nec inutile per utile confirmari potest, sed scinditur obligatio. *Ex ipsis Juliani verbis in l.* 3, *ff. de cond. ind.*

2. Ea quae communiter omnibus prosunt, iis quae specialiter quibusdam utilia sunt, praeponimus. *Nov.* 39, *cap.* 1.

3. Propter privatorum commodum non debet communi utilitati praejudicari. PAULUS.

UXOR.

Non debet uxor suis maritum lugere expensis.

VENDITIO.

Sub conditione facta venditio nulla est, si conditio defecerit.

VENIA.

Inhumanum est nullum veniae locum dari. *L. 6, § 3, ff. de his qui not. inf.*

VERBA.

1. Frustrà de verbis litigatur, ubi de re constat.
2. Plerùmque dùm proprietas verborum attenditur, sensus veritatis amittitur.
3. Intelligentia dictorum ex causis est assumenda, quia non sermoni res sed rei est sermo subjectus.
4. Omne verbum (in legibus est et in contractibus) sic accipi debet, ut stet cum aliquo effectu operativo secundùm materiam subjectam. MOLINÆUS.
5. Non solent quae abundant vitiari scripturas.
6. Forma et essentia rei est potiùs spectanda quàm verborum cortex. ARGENTRÆUS.

7. Verba conventionum secundùm jus commune debent intelligi. MANTICA.

8. Etsi prior et potentior est quàm vox mens dicentis, tamen sine voce nemo dixisse existimatur. *L.* 7, § 2, *de supellectili legis.*

9. Verbis standum, ubi nulla est ambiguitas.

10. Verba non sono solo sapiunt, sed et sensu; nec auribus tantummodò audienda sunt, sed et mentibus. TERTULLIANUS.

11. Verbum *volo*, licet desit, tamen, quia additum, perfectùm sensum facit, pro adjecto habendum est. *L. verbum* 10, *c. de fidei com.*

12. Verba praesentis temporis non porriguntur ad futura. BARTHOLUS.

13. Si verba contractûs conveniunt homini sanae mentis, praesumitur (contractus) fuisse sanae mentis. Talis enim praesumitur contractus qualem verborum proprietas demonstrat. BORRIUS.

14. Non verbis, sed factis standum est.

15. Ubi verba clara sunt, non est admittenda voluntatis quaestio.

16. Non aliter à significatione verborum recedi oportet, quàm cùm manifestum est aliud sensisse testatorem. *L.* 69, *ff. de legat.*

17. Verba generaliter prolata, sunt generaliter intelligenda. *L. si servitus, ff. de servit. urb. et præd.*

18. Verba ligant homines, taurorum cornua funes.

19. Verbis actûs maximè standum, ità ut actus potiùs perire debeat, quàm à verbis recedatur, cùm voluntas non probata, sed in mente retenta nihil operetur.

20. Si in contractu locati apponitur verbum *vendo*, non mutatur natura contractûs.

Gothofredus.

VERISIMILE.

Quod non est verisimile habet speciem falsitatis. Tribonianus.

VERITAS.

1. Oportet ut bonas causas et veraciter agant advocati.

2. Veritas ipsa, ut et innocentia, maxima eloquentia est; et de veritate magis, quàm de victoriâ, solliciti esse debent causarum patroni.

3. Non tàm scriptura quàm veritas considerari solet.

4. Veritatem spectamus, non quod quis finxit.

5. Praesumptionis locus est, cùm veritas alio modo investigari non potest. *L. nummis, ff. de legat.*

6. Semper veritati locus relinquendus. *L. imperatores, ff. de probat.*

VETUSTAS.

Vetustas vim legis habet. PALLU.

VIA.

1. Cùm via publica, vel fluminis impetu, vel ruinâ, amissa est, vicinus proximus viam praestare debet. *L.* 14, § 1, *ff. de servit.*

2. Publicè utile est, sine metu et periculo, per itinera commeari. *L.* 2, § 1, *de his qui effuderint.*

VICTUS.

1. Sciant victum in causâ expensarum victori esse condemnandum. *L. properandum*, § *sive autem*, *c. de judiciis.*

2. Si ex duobus petitoribus, alter victus acquieverit, alterius petitioni non praejudicatur, idque ita rescriptum est. *L.* 63, *ff. de re judicatâ.*

VINCERE.

Si vinco vincentem te multò magis vincere te debeo.

VIR ET UXOR.

1. Non omnis acquisitio communicatur inter virum et uxorem, solùm ea quae fit con-

stante matrimonio, et quae non pendet à jure alterutri eorum ante matrimonium quaesito. MOLINÆUS.

2. Factâ separatione, mulier non est ampliùs in potestate viri.

3. Non omnis mulier, viro juncta, uxor est viri, neque omnis filius haeres est patris: itaque aliud est uxor, aliud concubina, sicut aliud ancilla, aliud libera. *Caroli magni capit.*, *cap.* 41, *de uxoribus et concub.*

VIS.

1. Vim vi defendere omnes leges, omniaque jura permittunt. PAULUS.

2. Ille qui immediatè percutit percussorem suum, videtur facere ad defensam. BALDUS.

3. Vim vi repellere licet incontinenti, non ex intervallo. BARTHOLUS.

4. Nihil consensui tàm contrarium, quàm vis ac metus. *L.* 116, *de reg. jur.*

VIS MAJOR.

Ea est vis major, cui resisti non potest.

VOLUNTAS, IMPERIUM.

1. Velle non creditur qui obsequitur imperio patris.

2. Nihil interest an voluntatem suam verbis aliquis declaret, an rebus ipsis et factis.

3. Velle non intelligitur qui circumvenitur et seducitur. CUJACIUS.

4. Geminata constantem voluntatem indicant.

5. Facta sola censenda sunt, et in judicium vocanda; sed voluntates nudae et inanes, nec legibus, neque poenis sunt obnoxiae. CATO.[5]

FINIS.

INDEX.



PREZZO GRANA 40.